

. F . Romanell . del . F . Poilly . Sculp . R .

BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE

IO. FRANCISCI RAYMVNDI

Vnico cum Librò

VMBRARVM GENIALIVM

Miſcellanearum & Poemate

TRES CENTVRIAE POLITICARVM

I. De Vita ciuili. II. De togata Prudẽtia. III. De Prudentia militari.

EMINENTISS. PRINCIPI

FLAVIO CHISIO

S. R. E. Cardinali Ampliſsimo dicatæ.



ROMÆ, Typis Angeli Bernabò. 1658. Sup. permiſſu

Bibli Coll: Rom: Soc: Jesu
BIBLIOTECA NAZ. VITT. EMANUELE ROMA

EMINENTISS. PRINCIPI

FLAVIO CHISIO

S. R. E. Cardinali Ampliſs.

ALEXANDRI VII. P. O. M.

EX FRATRE NEPOTI

Se vnà cum ſuis genialibus vmbris

D. D.

IO: FRANCISCVS RAYMVNDVS.

M*Ens fuit exemplar proponere Principis orbi,*
Purpurei, CHISI, gloria rara Chori.
Et veluti Cous Venerem qui pinxit, in vnum
Collegit pulchri quicquid in orbe fuit;
Haud ſecus è claris monumentis legimus illa,

Quæ

Quæ clarum poterunt fingere ſola
virum:
Hæc in te ſummo reſident ſplendore:
decori
Heroum reliquis quod fuit, vnus
habes;
Hinc quæ ſacro tibi tua ſunt hæc
dona, benigno,
O ego ter felix! ſi ſemel ore leges;
Vmbræ virtutis veſtra te iugè ſe-
quentur
Hæ noſtræ, ſequitur corpus vt
vmbra ſuum.

ALEXANDER VII. P.O. M.

PELICANVS IN LVE

CARMEN

IO. FRANCISCI RAYMVNDI

Ad Muſam.

EIa age rumpe moras, reſonat dũ laudibus æther
CHISIACIS, fuerit turpe tacere tibi.
Maximus eſt, humiles extollere gaudet, honori
Ni Cycni cantus, pluma futura tibi.
Viuet ALEXANDRI nomen dum Roma manebit
Templis & latis nobilitata vijs,
Viuet Apelleis animata coloribus oris
Maieſtas, viuet gloria, viuet honos.
Quæ canat heroo ſurget noua Muſa cothurno
Geſta, quibus toto notus in orbe micat.
A Polycleteis cælabitur aureus, eius
Munifica redeunt aurea ſecla manu.
Marmoris effigies ſacra de ſede loquetur,
Illius oraclis tota ſuperbit humus.
Qui mirentur erunt vberrima flumina miri
Ingenij ex vitæ fonte trahentis aquas;
Hique ſtylo grauiore ferent ſacra lumina mentis,
Cui tantum è cæli lumine lumen ineſt.
Tu citharis mea Muſa refer leuioribus alma
Quæ Pater in natos CHISIVS vrbe gerit,
Dum miſeranda lues tota ſpatiatur in Vrbe,
Implet & humano tetra cruore ſinum.
En dum pars Procerum mutat perterrita cælum;
Cum Clero viſit limina ſacra pedes,
Sanguinis ex loculis, oculiſque cadentibus vndis
(Sunt hominum ſanguis quippe ſecundus opes)
Explet

Explet eis inopum ventris ieiunia, nati
Vtque reuiuiſcant his PELICANVS agit.
Effunditque preces, Diuiſque in vota vocatis,
Annuit optatis, qui regit aſtra, Deus;
Candida iamque nitent influxibus aſtra benignis,
Cedit & ex omni corpore ſæua lues.

De B. Ioanne Chiſio Stellæ gentilitio in ſtemmate coruſcanti aſſimilato.

QVæ noua ſpectantur Terris miracula! Sidus
CHISIACI Montes en peperere nouum;
Sidera nocte micant cæli tantummodo; Sidus
IOANNIS noctes emicat atque dies.
Currite mortales, CHISÆVM currite ad Aſtrum,
Aſtrum quod tutam pandit ad Aſtra viam.

De trino gentilitio ſtemmate Alexandri VII. P.O.M.

INgenium ſummum Montes, cor aurea Quercus
Forte, piam mentem lucida Stella notat.
In terris parent Montes cui Quercus & Aſtrum,
Mortalis verè dicitur ille Deus.

De ſidere in Pontificijs inſignibus ſuper Montes irradiante.

CVr agit excubias CHISÆIS montibus Aſtrum?
Aſtrum, quod roſeum ſpargit in orbe iubar?
Ad Regum Regem cur ductis Regibus Aſtrum
Occidit, æterna nunc ſtatione micat?

Debuit

Debuit cōis ſucceſcere Regibus olim,
Quæ ſita nunc verò ſunt ſub vtroque polo.

Senos in Montes triplici ordine Chiſæo in ſcuto, purpureoque in campo aſſurgentes.

ORdine quid triplici CHISÆO ſtēmate Montes
Aſſurgunt? illis Stella quid vna præeſt?
Stella quid vna præeſt campo, cui purpura ſeruit?
Ceruleo gaudent num magis Aſtra ſinu?
Cardinei Proceres Montes ſunt ordine terno
Diſtincti* ſummus Stellaque Paſtor adeſt.
Stemmatis ecce patent myſteria: CHISIA Stella
Purpureo Patrum præſidet vna Choro.

* *ſcilicet Epiſcopatus, Presbyteratus, & Diaconatus.*

De iiſdem Montibus, & Sidere, deque trino Alexandri VII. Imperio triplici in tiara expreſſo.

QVos Montes roſeo Sidus fulgore coronat
CHISIA purpureo Gens fouet vna ſinu,
In Terris regnant ſublimi vertice Montes;
Terrarum ſummum protulit iſta decus.
Teſtis ALEXANDER, radiat cui trina tiara
Cum famulentur ei Tartara, Terra, Polus.

Bina in robora in Chiſæis depicta inſignibus, quorum ramis Cruces exprimuntur, cum alluſione ad illud

lati-

Latinorum Poetarum Principis:
Et duræ Quercus ſudabunt
roſcida mella.

AD quid, ſudabunt ſi Quercus roſcida mella
In ſacra flectuntur Robora ſigna Crucis?
Cum ſibi, tum cunctis eſt natus CHISIVS; inde
Ferre Cruces illum Robur vtrumqe docet.

De Athlante Chiſæis Montibus ceruicem incuruante.

DEmiſſus celſo qui cælum vertice fulcit
CHISIACOS Montes cur veneratur Athlas?
An quia ſolus adeſt, hi ſeni vertice in vno?
Aut quia ſemper eos cernua Stella colit?
Non ita; CHISÆI potiores vertice; Cælum
Athlantis vertex ſuſtinet, ille Iouem.

Plumbeum in loculum, quem ſibi Alexander VII. P.O.M. in ipſo initi Pontificatus exordio iuſſit compigi.

VIx radiat trino redimitus tempora ſerto
Et loculum fieri CHISIVS ecce iubet.
CHISIVS ingenij flos eſt, flos Vrbis & orbis;
Vt flos mane viget, veſpere vita cadit,
Vrna ſepulchralis rectæ fit regula vitæ
Optima: vis rectè viuere? diſce mori.
Maximus hinc plumbo viuens ſibi CHISIVS vrnã
Ne ſerò ſapiat ſeria, manè facit.

ALEXANDRO VII. P. O. M. REGNANTE

Feſtiuæ Romani cæli lachrymæ
Ingreſſu in Vrbem
Sereniſſimæ Maieſtatis Chriſtinæ
Suecorum Reginæ.

I.

ARce ſub ingreſſu tenebrarũ principis horrent
Corda procelloſis dum fluit imber aquis,
Rexque planetarum nimbis ſe celat in atris:
Tantæ Reginæ lumina ferre nequit:
Ingreſſu cælum lachrymarum rore madeſcit.
Lætitiæ lachrymas quis cohibere poteſt?

Auri faſtus ſub idem tempus
à Romanis calcatus.

II.

FRonte ſerenata dum turbidus ingruit imber
Ardua Romulides terga fatigat equis:
Et ſaturas auro veſtes gemmiſque ſuperbas
Cum gazis luteis ſerica turpat aquis:
Romanis rerum Dominis famularier aurum
Par eſt; id ſolum vilia corda premit.

CHRISTINÆ
Suecorum Reginæ
Ob fauſtiſs. ac feliciſs. ingreſſum
Galleſinam in Vrbem
Petrus ab Altæmps
Galleſij Dux III.

III.

QVòd ſibi cõplacuit domibus requieſcere noſtris
Grandis honoris amor, grãdis amoris honor.

Dux memor officij Chriſtinæ Petrus ab Altæmps
Obſequij partus hæc monumenta ſacrat.

Iberum Regnum.

I V.

SOl vbi diffundit radios, ibi regnat Iberus:
Regnat vterque ſolo, regnat vterque polo.

Auarus.

V.

AVreus è cœlo quamuis deſcendat auaro
Imber, vt aurifero ſit minor imbre Rhodos,
Effluat argenti riuis opulentia Crœſi,
Romulei Craſſi, Migdoniique Mydæ.
Millia tercentum cultiſſima prædia lætas
Producant ſegetes bis imitata Pharon,
Et grauidæ ſegetes ſicut Babylonia reddant
Semina fœcundo iacta tricenta ſolo,
Deferat argentum Sardus, Phœnicius oſtrum,
Eous merces, Gens Tibarena pecus,
Niligenumque velut diſtentans vbera, quouis
Bis lanas anno det, pariatque pecus.
Gemmiferis Ganges, Hermus, Pactolus, Idaſpes,
Et Tagus excurrant atque Arimaſpus aquis.
In fluidos abeat Sapphiros aer, in aurum
Aequorei fluctus, inque adamanta ſolum,
His tamen haud animus plenè requieſcet auari;
Sola quies animi nàm Deus eſſe poteſt.

De Eodem.

V I.

ÆStuat infandos æſtus vt hydropicus: vnda
Aurea dum fluitet, non petit vndè fluat.

Ad

Ad Lectorem.

V I I.

SI tibi longa placet, oculis percurre poema;
Si mediocris, eam mox epigramma dabit.
Si breuis, in toto diſperſa volumine luſtra
Diſthica, ſin breuior lectio, claude librum.

Abſinthium.

V I I I.

FOlia ſunt nobis peramara, medullaque dulcis;
Quod plus eſt cordi, ſumere quiſque poteſt.

Idem.

I X.

EX nobis ſine verme redit, qui carpit amara,
Dulcia qui ſumit, non ſine verme redit.

Chriſtifidelium odium in Mahometi II. Cineres igne potentius.

X.

NEc cinis eius habet requiem tumulata tyrãni,
quo viuo requies omnibus exul erat.
Diſcite iuſtitiam gentis qui ſceptra tenetis,
Hinc odium gentis diſcite quàm ſit atrox,
Sic atrox non ignis erit, nam deſtruit ignem
Quæ dat ei vires ac alimenta cinis.

Ad Aſparagum.

X I.

INdidit aſperitas terræ quà naſcere nomen;
Nominis aſperitas, eſſe ſuaue tuum eſt.

De Cloride.

XII.

NVpta recẽs Cloris, cui mater adultera Phyllis,
Eſt & quæ nunquam virgo fuiſſe memor,
Iacturam nuſquam feciſſe fatetur honoris:
Nè quod non habuit perdere non potuit.

Aegis.

XIII.

PAllados anguineis terram ne cerne capillis
Aegida, ne fias ipſe repente lapis.

Ad Gaulum nuper defunctum.

XIV.

GAule reliquiſti quod tecum ferre nequiſti,
Hæredes facerent ſpe tibi multa bona,
Immemores ſed ij ducunt feliciter horas,
Pro te non obolum pauperibuſque darent,
Non bene res agitur; venia tamen eſſe videntur
non indigni, ſi rem benè diſcutimus;
Quæ non feciſti ſiquidem tibi luſtra trahenti,
Vt tibi defuncto vis faciant alij?

Cor hominum.

XV.

EXitus incertus rerum, cor palpitat vni
Hinc hominũ, quẽ vnũ ſpeſq; metuſq; mouent.

De Vgone nomen ſuum Religioni N. dare cupiente.

XVI.

CVncta tenet, qui nulla tenet pro Numine cæli,
Illi cuiuſuis Chriſtus origo boni.

Iro pauperior, pauone ſuperbior Vgo.
Aſpera pertæſus, deſidioſus, iners,
Pauper amore Dei fieri vult, ſcilicet Vgo,
Vt ſibi nil deſit, pauper adeſſe cupit.

Adonis.
XVII.

INguine formoſus perijt percuſſus Adonis;
Laſciuæ Veneris fructus hic eſſe ſolet.

Idem Veneris amaſius eiuſdemque commiſeratione In anemonis florem conuerſus.
XVIII.

VErtimur in florem, verùm flos noſter in ipſo
Purpureus vitæ limine languet, obit.
Temporis inſtanti Veneris ſit quota voluptas
Delicijs proprijs immorientis habes.

Senex & Iuuenis.
XIX.

VT teſtudo ſenex, iuuenis velut aura mouetur,
Cur? petit hic vitæ, mortis at ille viam,

In vita nil deterius vita.
XX.

ACcidit in vita, vita nil ægrius ipſa;
Immunis curis vna nec hora fluit.
Lætius hinc iuſto nil quidquam morte, laborum
Extremo, vitæ principioque nouæ.
Iniuſto contrà letho nil triſtius ipſo,
Ne nunquam pereat, quo perit ille ſemel.

Ariſtippus.

INquit Ariſtippus. poſt mortem nulla voluptas:
Hunc, ne ſit mendax pœna perennis habet.

Amaracus.

XXI.

NOn meus infelix eſt lapſus amaracus inquit.
Hinc mihi nam ſurgit non obitura dies.

Et erat ſubditus illis.

XXII.

SVbditus eſt homini ſolus qui cuncta gubernat,
Factus vt ex nihilo cuncta gubernet homo.
Pone vel hinc auſus Euæ temeraria proles,
Proque Deo dominis ſubditus eſto tuis.

Ametyſtus.

XXX.

CVi vino videor, violis non ebrius eſſe,
Non violis, vino eſt ebrius ille mihi.

Ad Regiam Celſitudinem Caroli Emanuelis Sabaudiæ Ducis, Pedemontium Principis, Cypri Regis, &c.

XXXI.

CLaudere ſi Princeps plebis vis ora loquacis,
Os imple, tutò fac tibi quodque libet,
Quod libet, at liceat; ſi caſu irrepſerit error,
Ne timeas, culpis ſubditur omnis homo.
Vaſtaque cor plebis dilatant horrea, quæuis
In placido tritici culpa latetque ſinu.

Eidem

Eidem ſupplex auguratur æternitatem.
XXXII.

SIs amaranthæis redimitus tempora ſpicis,
Eius & exæquans tempora viue tuis.

Seipſum ſine hoſte deſtruit nimias, qui moles conſtruit.
XXXIII.

TEndit ad Interitum nimias qui conſtruit ædes,
Euaditque ſui dulciter hoſtis, inops.
Ter miſer eſt, illi, quo maior ad æthera moles
Saxea ſurgit, eò nam minus aſtra patent.
Quæ capit heroas ter felix cellula, namque
Ex cella ad cœlum tranſitus vſque patet.

De eodem ad Aulum.
XXXIV.

QVi ſtruis hoſte carens, ſenſim te deſtruis, Aule,
Hoſte carens, fallor, hoſtis es ipſe tui.

Ex mentis captiuitate vera libertas; & contra.
XXXV.

VVlt vbi ſacra fides captiuam reddito mentem
In terris, cælo liber vt eſſe queas:
Nàm quæ liberior per dogmata ſacra vagatur
Fit mens erroris ſerua, magiſtra, parens.
Eſt ſeruire Deo regnare: volumina ſacra
Non gygas, at tantum paruulus illa capit.

De eodem Author.
XXXVI.

VIncula relligio nectat quamplurima: vinctus
Quò magis his fuero, tunc mage liber ero.

Pietas Marmorea Præclariſſimum opus M. Angeli Bonarotæ.

XXXVII.

Vndique viſa mouet fletum pietatis imago
Angelica viuo marmore ſculpta manu:
Nonniſi marmoreum fletum qui diceret illum,
Non homo, marmoreus, ſed foret ille lapis.

Scrutator veritatis opprimetur à gloria.

XXXVIII.

INquirens arcana Dei ſtudioſius æquo
Confundetur; cum gloria dia premet.

Vnde mors, inde vita.

XXXIX.

IN ligno cur noſtra ſalus, cur vita pependit?
Mors foret vt mortis, mortua vita fuit;
At cur in ligno? quò vita reſurgeret indè,
Vnde hominum generis mortis origo fuit.

In Eraſmum.

XXXX.

MVs, ò Eraſmus, eras, ſi verum nominis omen,
Dic modò, tartarei felis in vngue quid es?

In Quintianum D. Agathę mammillas amputari iubentem.

XXXXI.

IMpie virgineas ſacro de pectore mammas
Qui matris ſuxti num reſecare pudet?
Tigribus Hircanis ferior, rabidiſque leænis,
Non hominis, cuius filius ergo feræ?

Matura

Matura morte nil melius ex Cic. ſententiâ l.1.quæſt. tuſcul.

XXXXII.

ORauit poſtquam ſupplex Argia Dianam
Præmia quò natis pro pietate daret,
Quæque viderentur mortalibus optima: manè
Nacta fuit natos diſperijſſe toris:
Tullius hinc Marcus (ſibi quod contingere nollet:)
Matura melius nil fore morte docet.

Ex malis bonum.

XXXXIII.

CVm mihi mala ſitim ſedarint punica feſſo
Ex malis ortum quis neget eſſe bonum?

Ex bono malum, & contra.

XXXXIV.

ACre, malumq, merũ modicè dum Pœte bibebas
Dilutum, ſanus piſcis ad inſtar eras.
Dulce, bonumque merũ immodicè quia, Pœte, bibiſti
Et non dilutum, mortis imago manes:
Quòd bene ſis vſus primo, male verò ſecundo,
Eſt mala cauſa boni, res bona cauſa mali.

Qui benè viuit, benè moritur.

XXXXV.

IS benè vix moritur, qui non benè vixerit: ergò
Eſt bene viuendum, quò moriare bene.

Auri dominatus.

XXXXVI.

IVppiter expugnat Danaen conuerſus in aurum,
Quam nemo potuit vi nec habere prece.
Numinis en nummi quam magna potentia? cuius
Auxilio mundum qui moderatur eget.

Ad Ponticum.

XXXXVII.

DVm mœchus mœchos, ò Pontice, plectis: codē
Tempore num iudex es bonus atque malus?

Ad Gallum.

XXXXVIII.

ACcendit quicumque ſuo de lumine lumen
Det lumen quāuis id, quod habebat, habet,
Sic tibi ficetum ficeto Gellia fecit,
Et non amiſit quod tibi, Galle, dedit.

Vndè opes.

XXXXIX.

NOn pecoris paſtor diteſcit ſanguine: verùm
Multiplicata patit copia lactis opes.

Mors eſt in olla.

L.

IN nimijs mors eſt, in parcis vitaque cænis:
Sunt pariter vitæ cauſa neciſque dapes:
Tot Venus & Mauors non oppreſſere quot ora:
Quàm mors ex olla dulcis in ora volat!

Ad Lippicum.

LI.

CVm tibi nec mundo placeat ſeruire nec aſtris,
Nec caro, nec piſcis, Lippice, tuber eris.

Niſi granum frumenti &c. Io. 12.

LII.

IN terram tritici ni grana cadentia mortem
Guſtent, ſola, velut res patet, ipſa manent:

Multum

Multum verò ferunt, fuerint ſi mortua fructum:
En radix vitæ mors, manus iſta Dei eſt.

Qui amat animam ſuam in hoc mundo, perdet eam, &c.

L I I I.

HIc animam perdet, qui diligit, odit at illam
Qui terris, omni tempore ſeruat eam.

Memorabile Pueri biennis reſponſum.

L I V.

POſcebam pueros quiſnam pulcherrimus eſſet,
Terdeni menſis cum puer, inquit: ego.
Tantus amor formæ, vt puerum, cui tertia meſſis,
Mouerit informes articulare ſonos.

Cloe.

L V.

BElla Cloe non eſt, tamen excitat aſpera bella:
Ter bellum cunctis, quod placet, eſſe ſolet.

De eadem.

L V I.

BEllula natura non eſt, ſit bella ſed arte,
Idolatrarum qua ſibi bella parit.

Atys.

L V I I.

COnſonat haud genio Pholoę virtutis alumnus,
Ingenuus, Lepidus, pulcher, honeſtus Atys,
Non quia diſpliceat virtus pulcherrima, craſſus
Sed quòd ſermo ſibi, craſſaque facta placent.

Cæli enarrant gloriam Dei &c.
LIII.

GLoria quanta Dei, referunt conuexa polorũ;
Et firmamentum nunciat eius opus.

Alcides.
LIV.

ALcides clauam fertur geſtaſſe ſiniſtra,
Abdere quo poſſet dextra verenda manus;
Scilicet extimuit ſe vincere, maxima cæli
Machina ſtellantis cui leue pondus erat.

Idem de eodem.
LV.

EX alijs pecudum commune referre triumphos
Eſt, hominis de ſe verò, fauente Polo.

De eodem.
LVI.

VIctricem ſequitur Venerem captiua volũtas,
Gaudet & hac blanda ſub ditione premi,
Totius hinc orbis domitor fit ſeruus amoris:
Terrorem vincit Martis inermis amor.

Dixit impius in corde ſuo, non eſt Deus.
LVII.

NOn Deus eſt, ſecum ſic protulit impius: eius
Et verè non eſt corde, nec ore Deus.

De D. Petro M. Ord. Præd.
LVIII.

LAnguida virgo Petrus vix tãgit corpora; virtus
Defluit ex illo, ſanus & omnis abit.

Non

Non impunè datæ phyſicorum more, (bonorum
Pace ſit hoc dictum) præmia mortis habet.
Sed pius eſt phyſicus, phyſicus ſine vulnere ſanans
Corporis & mentis vulnera ſæua magis;
Cancroſum pietate facit nec vulnus, id altum
Eſt medicæ Petri virginitatis opus:
Quàm bene corporibus reddit mentique ſalutem,
Qui ſemper virgo corpore, mente fuit.

Pyropus.

LIX.

IGnibus in medijs ignes non ſentio; flamma,
Noxia quæ multis, eſt pretioſa mihi.

Ponticus virum mœchæ in ſcalis vitaturus ſe per vitem feneſtræ inhærentem dimittens.

LX.

PErſtrictum mœchus vitet quò Ponticus enſem
Penduius e vitis ſtipite tentat iter:
Horret at indignè vileſcere pondere vitis
Tam generoſa mero, per mediumque crepat.
Infelix! vitæ lumen cum vite relinquit;
Ignoſcit vitis nec vitiata ſibi.

Apium.

LXI.

CVr apio fulſit redimitus victor amaro?
In qua regnat honos ſede, triumphat onus;

Antimachus.

LXII.

SOlus Ariſtonides e multis auribus adſtat
Antimacho tumidè dum monumenta legit,
His tamē haud animū ponens colophonius, inquit,
Sat mihi pro cunctis ſat Plato ſolus erit.

Berillus.

Berillus.

LXIII.

INdicus in digito ſexangulus eſto, vireſcat
Berillus puri qui velut vnda maris.

Ignobilis puerpera, pietate clara: ex Plinio.

LXIV.

NObilis haud natu, pietate puerpera clara,
Vt matrem in vinclis vidit obire fame,
(Carceris in ſummam pœnam cuſtode parenti
Captiuæ latas excutiente dapes)
Plena dedit labris moribundis vbera; natæ
Mater ab vberibus dulce pependit onus.
Felices ambæ: genitrix in prole reuixit,
Alterius felix vtraque vixit ope.

Flumen & Venus.

LXV.

VT mare dulcis habet fit fluminis humor amarus;
Orta mari dulcis, mox fit amara Venus.

Miles & Luſor.

LXVI.

EVentu veluti dubio Mauortis ab armis
Audens non animus belligerantis ouat,
Haud ſecus ancipiti ludi certamine luſor
Speque metuque dies irrequietus agit.

Ludus.

LXVII.

IN nos armatur teneré dum ludus amatur,
Blandaque lethali vulnere corda ferit.

Eiuſdem

Eiuſdem partus.
LXVIII.

SVnt ludi partus blaſphemia, iurgia, cædes,
Nec mirum: inuentum Dæmonis ille fuit.

De Gellia.
LXIX.

NVbere non Gallo, vult nubere Gellia Codro,
Quod facit in tenebris exhibitura die.

Ad Regulum.
LXX.

DVm tibi quod miſi, coniunx vorat inſcia malū,
Hoſtis ſecretus, dira venena vorat.
Non infelicem te dicam, Regule, liber
Es malo magno factus ab hoſte malo.

De Paupertate, & opibus Ad Deum.
LXXI.

PHiloſophi certant & adhuc ſub iudice lis eſt
Paupertas opibus noxia ſitnè magis?
Quæ mala pauperie non fiunt? quæ mala gazis?
His fluit e binis fontibus omne malum.
Cum mihi ſit victus mediocriter aucta facultas,
Non plus opto, ſat eſt, ſat mihi ſumme Deus.

Pater & filius.
LXXII.

QVi lenis natus leuis eſt; qui verba parentis
Non fert, carnificis verbera ferre ſolet.

De

De Galatea.

LXXIII.

BIs quinos Galatea viros ad funera miſit,
A longè plorans hoſque ſequuta fuit.
Vndecimum reperit vix ore loquuta maritum,
Quandoquidem diues, pulchra, modeſta nitet
Fœminei ſexus mores exoſa ſuperbos
Gaudet præcedant obſequioſa viri.

Ad Caſtricum.

LXXIV.

CVrrucas hilares iaciendos faris in ignem:
Quam bene tecum eſſet, ſi Salamandra fores.

Ad Rufum.

LXXV.

CVm mox ſis factus Craſus qui nuper egebas,
Immenſæ ſiquidem te comitantur opes.
Quam malè nunc tecum bona plurima, Rufe, tenēte,
Eſt operum ratio nam referenda tibi:
Non mihi teſtis, ais, hoſtis non officit erras:
Teſtis & hoſtis erit, dum tibi nummus erit.

Idem ex diuite pauper.

LXXVI.

IRus vt es factus, ceſſiſti Rufus ab ira:
Solo conueniunt Irus & ira ſono.

Qui fecit te ſine te, non ſaluabit te ſine te. ex D. Auguſtino.

LXXVII.

TE non ſaluabit ſine te, qui te ſine fecit
Te, bona dat cœlos actio, praua ſtygem.
Vis ſaluus fieri? ſerua mandata ſupremi,
Et viues, fuerit ſi tua viua fides.

Ad

Ad Pætum.

LXXVIII.

TE fugiunt omnes, finis cum nulla loquendi
Sit tibi, plus ſapies, Poete, loquendo minus.

In Salſerium.

LXXIX.

SAl ſeris ipſe diù, nullius verba ſaporis
Sunt tua, ſic nec habes, quod ſeris ipſe diù.

Phyllis, & Hyllus.

LXXX.

BIs ſenos Phyllis, terquinos attigit Hyllus
Annos, vincla ſacri dum ſubiere tori,
Concubitu primo mulier ſit Phyllis ab Hyllo,
Hyllus ab infanti Phyllide virque venit.
Ingenioſus amor nimis eſt; hoc namque viciſſim
Conſorti, quod erat non ſibi, vterque dedit.

Ad Paulam.

LXXXI.

PAula merere rogum cunctis nolente marito
Dando locum, dando cuncta merere focum.

Ex vita malum, ex vita bonum.

LXXXII.

VT male viuenti ſemper ſit peſſima vita,
Optima viuenti ſic bene ſemper erit.
Iuge malum mala vita parit, bona iuge bonumque
Non ſecus ac vitam dat gladiuſque necem.

Ad N.
LXXXIII.

TE non eſt vitijs nec corpore turpior alter;
Se dignas ædés occupat ingenium.

Atheus & Cotta.
LXXXIV.

IMpius eſſe Deum non credidit,omnia Cotta
Credidit, hinc res hic perdidit, ille fidem.
Tartareis perijt flammis addictus vterque,
Et cur? hic nimium credidit, ille nihil.

Acus.
LXXXV.

COrpore ſim quamuis,nō ſum re paruula;nulla
Nam ſine me veſtis regia membra tegit.

De Cæcilio Gubernatore.
LXXXVI.

BEltranum perſæpe videns ad Principis aures
Illi Cæcilius munera magna dedit;
Vt natura fuit ſcurræ ſibi cognita, namque
Nil præter fumum vendidit ille ſibi,
Magna mihi miſit, maiora ſpopondit, vt auris
Principis officijs eſſet aperta ſuis:
Plura volebat, eum puduit quæ dicere: donis
Scilicet hiſce ſibi ſcripta ſecreta darem:
Quas occultaſſet cauſas ad Principis aures
Ne penetrent, iudex tempus in omne foret.
Vt fuit emptoris vafri mens cognita, dona
Per quam venerunt mox rediere viam.
Quippe Gubernator ſupero quodcunque miniſtro
Donat, in officio centuplicare cupit.

De perna.

LXXXVII.

Non quia iudæus, verum quia corpore gallus
Beltranus pernam mandere ſæpe negat.

Bernardino Fanti Clariſſimo Piiſſimoque adoleſcentulo ætatis flore immatura morte prærepto.

LXXXVIII.

Haud exceſſiſti e viuis, nam viuida virtus,
Et poſt fata virum grandia facta manent:
Laus ſine fine tua: occinerē quamplurima, noſter
Eſſet ni tecum mortuus omnis amor.

Adamas.

LXXXIX.

Sanguine mox adamas calido diſſoluitur hirci,
Cui cedit ferrum, malleus atque focus:

Narciſſus.

XC.

Diues egeſtatis propriæ ſe quærit in vndis
Narciſſus formæ captus amore ſuæ,
Non auſcultantem rogitat, quem poſſidet optat;
E gelidis ignem ter miſer haurit aquis.

Ad Codrum.

XCI.

Amiſſis ouibus, bobuſque es factus vt agnus;
Te fecere lupum, Codre, boues & oues.

Sutor auarus.

XCII.

Ecce triumphatam dum Tybridis vnda per Vrbē
Aggeribus ruptis imperioſa furit,

Argen-

Argento grau: dam ſutor complectitur arcam,
Arceat vt f: uctus arca furentis aquæ,
Vndaque belligeram quondam quæ vexerat argon
Villa dedignans pondera merſit aquis.

Venus.

XCIII.

EFfigies Veneris cum pectine pingitur ad quid?
Quòd nimis omnis amās comere corpus amat.

De eadem.

XCIV.

CVr aperit clauditque diē Venus vna? quod vni
Exoritur Veneri Sol, moriturque diù;
Ter ſpecioſa Venus, cui ſol innaſcitur, albet;
Occidit at cui ſol, luxurioſa nigrat.

De eadem.

XCV.

NOctis et autore [illegible] noctem
Fert ſine ſole Venus, non ſine ſole diem?
Sunt nox et noxa cognata; figura diei
Eſt merito quæuis actio digna die:
Sol eſt iuſtitiæ Deus; hoc à Sole tenemus
Omne bonum, facimus hoc ſine Sole malum:
Hoc cum Sole diem pandit Venus alma ſerenum,
Vertitur in noctem qui ſine Sole dies.

Vita & Venus.

XCVI.

CVm ſine fine nihil peragant mortalia, finis
Cur nec eis vitæ, nec Veneriſque placet?

De

De eodem. Retorquetur argumentum.

XCVII.

CVm thalami proles, viuendi finis olympus
Sit, cui nam proles non placet atque polus?

De Iembulo.

XCVIII.

IEmbulus optabat fieri ſine crimine diues,
Et fortunato claudere fine dies:
Nec fruſtra: diues comperto namque theſauro
Mox fit, et illius pondere preſſus obit.
Quod cupiebat habet, diues fit criminis expers,
Claudit et extremum mors pretioſa diem.

Ad N.

XCIX.

RAynaudis parens, parens itidemque Marinis
Ambobus dominis non placuiſſe doles?
Delicijs primi cum ſint, odioque ſecundi,
Miraris dominis non placuiſſe tuis?
Nemo poteſt veluti dominis ſeruire duobus,
Sic binis dominis nemo placere poteſt.

Ad hominem.

C.

TE ſupra te exſtolle parum mortalis, & vni
Inſpice quanta tibi fecerit ipſe Deus.
Inſpice quadrupedes. volucres. animalia quæque,
Inſpice quodque ſolum continet atque ſalum:
Inſpice quę fecit Deus omnia, ſcito Deumque
Omnia ſub pedibus ſuppoſuiſſe tuis:
Sis & imago ſibi ſimilis vult inſuper erga
Te: proh quantus amor! Cor poſuitque ſuum.
Cur hæc? vt Soli poſtquam ſeruiueris ipſi
In cælis ſecum Sceptra tenere queas.

Obli-

Oblituſne Dei poteris requieſcere, gratis
Hæc tibi, qui grato vult dare ſeque tibi?

Dauid.

CI.

VEnit vt in campum, vidit, vicitque Goliam:
Incautum ſtrauit caute gyganta puer.

Iuſtitia.

CII.

SCulpta Steti Thebis, clauſis oculiſque, videndi
Vnum plus alio ne foret anſa mihi.
Qui pinxit cæcam, vult viuam; quæ mihi fiunt,
Perpetuo morerer namque videndo notas.

Ad Leporinum.

CIII.

ENſem ſuſpendis cuiuis certare paratus;
Es, leporine, lepus nomine, corde leo.

Bonum & malum.

CIV.

NOn medium datur inter virtutem vitiumque,
In virtute bonum eſt, in vitioque malum.
Virtus vna bono ſoli reſpondet et vni.
Diuiditur vitium, diuiditurque malum,
Corporis vna Salus, non morbus corporis vnus;
Vnus non animi morbus, at vna ſalus.

Ad Roccum de Cælia.

CV.

OMnia qui donat, nil donat, Cælia totam
Sæpe licet dederit ſe tibi, nulla dedit.

Zoilus.

Zoilus.

CVI.

NEſcio quis, noſtros qui carpſit ſæpe libellos,
Carmina plura mihi ſurripuiſſe negat.
Vt ſua vulgaſſet currucaque noſtra, tuliſſet
Hæc licèt æterna nocte premenda priùs,
At vetuit iudex, cuius ſententia, cauſa
Ancipiti, iuſſit carmina danda focis.
Vt qui ſudoris nil Zoilus atque laboris
Iudicis inſumpſit carmine iuſſa probat.
Neſcio quò vertam me: Si ſententia ſtabit
Et labor et ſudor quantus ab igne cadet?
Si nullius erit cedendo roboris illa,
Totus alius honos eſſet, onuſque meum,
Carmina noſtra tamen ſic viuent: dummodo viuāt
Vltrò iam cedo iuribus ipſe meis;
Hæc vbi percepit iudex monimenta paterni
Affectus, inquit, Zoile lite cadis:
Quantum iudicium! fumoſæ en lumine flammæ
Mox furti nubes clarificata fuit.

Ad Illuſtriſs. D. D. Antoniū Cotalordam Marchionem Brighæ parentem ſuum.

CVII.

AVrea miſiſti necnon argentea captum
Quæ infra dicendi vaſa valoris erant:
Fungerer vt ſcriptis iuſſis ſunt tradita ſeruo
Vaſa, ſuæ fecit qui regionis iter:
O vtinam eſſem tranſgreſſus tua iuſſa; dediſſem
Nam tibi nummorum millia, dando nihil.

Ad illud: neſcitis quid petatis.

CVIII.

QVisque recens panē poſcebat ab æthere panē:
Humanæ tantum copia carnis erat:

Mella

Mella fluunt, pinguis ſtillat fragrantis oliuæ
Succus, in incultis ſentibus vua rubet,
Luxuriatque Ceres, curuatur frugibus arbos:
Non eſt qui dira peſte fruatur eis.
Sit lex velle Dei, ſine qua nos nulla petamus,
Et ſic ſuccedent cuncta, petendo nihil.

Nummus.

CIX.

ESſe meum nummi tantummodo conſcius vſum,
Effera cur illum ſtranguler arca velim?
Cum pro me nummus ſit factus, non ego nummo;
Hinc ego non nummo, ſeruiat ille mihi.

Lucretia & Penelopes.

CX

QVæ violat nolens Lucretia fœdera lecti,
Seruat Penelopes mille petita procis:
Vtraque ſi vitam ſemper caſtiſſima duxit,
Caſta diù fuerit, quæ violata ſemel.

Lucretia.

CXI

VT vulnus ſanet, vulnus *Lucretia* fecit,
Vulnus vtrumque ſibi fecit honoris amor.
Ingenioſa quidem, voluit quæ ſanguine labes
Et valuit ſocij clarificare tori.

Princeps & Tyrannus.

CXII.

PRinceps verus erit, lanas qui quærit ab agnis,
Qui verò pelles, ille tyrannus erit.

Diui-

Diuitis, & inopis interitus.

CXIII.

ESurie diues, nimio pauperculus eſu,
Vitalem miſerè claudit vterque diem;
Scilicet intereunt pauper diueſque, dietam
Quòd nimium ſeruet diues, inopſque nihil.

Opes, nil aliud quam ventus.

CXIV.

SIſyphidis ſocijs diſſoluitur vter: in illo
Fortè putabatur, vis latitaret opum:
Illicet exiliunt magno cum murmure venti:
Huius ſunt vitæ quid, niſi ventus, opes?

Ad Violantam.

CXV.

MVnera pollicita es, violas promiſſa: tibi vni,
Quò tibi perpetuò ſtes, violare licet.

De eadem.

CXVI.

MVnera promiſit, violans promiſſa fefellit,
Si ſtaret dictis, non Violanta foret.

De N.

Vbi dominatus amor, ibi timor.

CXVII.

NI delerentur nomen picturaque primæ
Vxoris, renuit Regis inire lares:
Scilicet eſt ardor dominatus talis, vt altum
Defunctæ ſpirent nomen & vmbra metum.

Ad Mamurram mulum.

CXVIII.

CAlce petis terram, mirùm non eſt, calce parētes
Dum genuere tui te petiere polum.

Nec ſuſtinebat eos terra. Gen. 36.

CXIX.

INconcuſſa diù quouis quæ pondere tellus
(Vt fundata ſuper ſtabilitate ſua)
Suſtinet immenſas ſyluas, animalia, montes,
Non binos fertur ſuſtinuiſſe viros:
Perlege Scripturam ſacram qui noſcere cauſam
Vis, hæc addit: erat diues vterque nimis.

De Burro.

CXX.

MEntitur cœcum Burrus pauperrimus; aurum
Scilicet vt videat lumina clauſa tenet.

Effigies Entelli viri pij & mendici à Gallo depicta.

CXXI.

QVod nequit Gallus ſpec oſum pingere vultū
Entelli, veſtis ſerica picta fuit.
Pannoſus pingendus erat, ſpecioſus at ere:
Plus pannoſa pijs quàm ſpecioſa micant.

Qualis vita, finis ita.

CXXII.

QValis vita fuit, talis mors: vixit aſellus,
Cinthius, hinc animam nunc vt aſellus agit.

Noſce

Noſce te ipſum.

CXXIII.

CONſumit ferrum rubigo, tempore vilis
Et minimæ rabidus fit leo paſtus auis.
Temporis inſtanti centum quæ vixerat annis
Turbine contorto quercus abacta ruit.
Igne cadet mundus, iacuit qui preſſus ab vndis,
Igne tamen leuius conſtat adeſſe nihil;
Incertum, quodcumque vides; elatus in altum
Noſcito te, lapſu ne grauiore ruas.

Qui gladio ferit, gladio perit.

CXXIV.

OCcidit poſtquam multos, occiſus Amyntas
Interit; enſe hominem qui ferit, enſe perit.

Medicus & Princeps.

CXXV.

DElentur Medici languentis ſanguine culpæ,
Principis errores ſumma ruina tegit.

Gloriam viuam viuis, mortuamq; mortuis eſſe quiſpiam cecinit.

CXXV.

SI vita functis eſt mortua gloria, viuis
Viua, velit patria, vel quis obire fide?
Non ita; ſi ſtygium cineres ni gloria tangit,
Et cælo & terris gloria ſemper erit.

E vitis pauperie diuitiæ; & contra.

CXXVI

PAuper eris, dum diueserit tibi vitis in agro,
Diues eris, vitis dum tibi pauper erit.

Cur e vino vitium? Cæl. Calcag. Epiſt.lib.1.

Nolite inebriari vino, in quo ineſt luxuria. S. Paulus.

CXXVII.

VT canit Aegyptus, de ſanguine nata Gygantũ
Vitis, vbi auſi ſunt bella ciere polo;
Antiquæ vinum memor inde propaginis aſtris
Aduerſans vitium concipit atque parit.

Honor mundi, momentaneus.

CXXVIII.

QVid ſit honos mundi, cano, momẽtaneus extat,
Et matutini roris ad inſtar abit.

Munerum potentia. Cæl, Rod. lib.21. cap.24.

CXXIX.

LIs, ab aquis ſurrexit vt attica terra, per ipſam
Inter Neptunum ac Pallada nata fuit:
Haud erat ignotum laturum litis honorem,
Munera Telluri qui mage digna daret.
Donauit proprios portus Neptunus, oliuam
Vt dedit, euicit nata virago Ioue.
Quàm potis hæc arbos! qua naufragus illicò factus
Portubus in proprijs eſt Deus ipſe maris!

Auarus, nec ſui Dominus.

CXXX.

DIues auarus adeſt? minimè, ſic viuit egenus,
Ipſius Dominus nec ſit vt ille ſui.

Mulier

Mulier natura ſua meretur.

CXXXI.

EST bona dum mulier, mox illi debita redde
Præmia, natura nam meret illa ſua.
Vt foret Aeua ſibi, coſtam perſoluit Adamus,
Plus ſtaret, ſed eo tempore nudus erat.

Qui diues in paucis, qui pauper in multis.

CXXXII.

CVi non multa ſatis, ſibi non eſt, ſemper egebit.
Contentus paucis eſt ſibi diues opum.

Laboris conqueſtio, quòd improbus eſſe feratur.

CXXXIII.

CVm per me regnẽt Proceres, ſua iura quibuſuis
Dentur, inoffenſo quiſquis eatque pede;
Cum per me tyrio ſaturentur murice veſtes;
Luxurietur honos, luxurientur opes;
Ex me cum virtus ſurgat & exuberet annus;
Cum cæli ſedes otio repleamque vacantes,
Dicat qui ſcit cur improbus eſſe ferar.

Lycij in luctibus fæmineas veſtes deferebant. Plutar. lib. de Conſol. ad Apoll.

CXXXIV.

FVnere fœmineis Lycij cur veſtibus vſi?
Fœmineum ſexum plus lachrymare decet.

Nigræ veſtes viduis aptiſſimæ.
CXXXV

VXores nigras geſtant a morte mariti
Veſtes, iure color nec decet alter eas:
Amiſere ſuum ſolem, rationis earum
Funeribus color haud aptior alter adeſt.

Carſalſa Maronl, cui cum dote mille nummorum aureorum nubit.
CXXXVI.

QVò tua ſim coniux nummos, Maro, mille tuliſti,
Sum Carſalſa tibi, tu caro ſal ſa mihi.

Cloe nubens Phrygi concubino ſuo. Pars potior toto.
CXXXVII.

PHryx mea cūcta dedi mecum tibi nulla daturo,
Erro, das, erro, maxima dona mihi;
Nam mox, quam totus nec corde tuo.
Ex Inh[illegible]

Caro ſpiritus, Spiritus Dei ſit ſeruus.
CXXXVIII.

DEcipimur recti ſpecie quandoque, latenter
Virtutis vitium ſubque colore venit,
Virtutem laudo, vitium condemno, videtur
Approbo quod melius, deteriuſue ſequor.
Decipimur, nobis nunquam ſeductor ab ipſis
Et cum deceptum ſe comitetur, abeſt.
Spiritui caro bella mouet, caro ſerua triumphat,
Cumque triumphanti ſit Comes vſque necat:
Spiritui carnis domino caro ſeruiat vſque,
Vſque ſuo domino ſeruiat ille Deo.

De

De fonte SS. Trinitatis Suriani.
CXXXIX.

FRigore fit calidus fons hic, gelidusque calore,
quas volumus, quouis tempore fundit aquas.

Victoria partis, difficilior quàm totius. De Roma.
CXL.

QVæ binis Mundum ſeclis circundedit armis,
Vrbs vicit quinis vix fera bella domus.
Sic operoſa fuit patrij victoria Regni:
Seſe quid maius vincere nemo poteſt.

Ad Romam poſt domeſtici belli victoriam.
CXLI.

ORbe triumphato celeberrima facta trophæis
Hoſtis te maior non tibi, Roma, fuit.
Victa tua vi Roma cades tantummodò, qua vi
Eſt mundus totus ſub ditione tua.
Vis virtute tuæ totus tibi paruit orbis,
Viſque furore tuæ, Roma, ſubacta cades;
Namque tibi victus totus cum ceſſerit orbis,
Romam duntaxat vincere Roma poteſt.

Ad Gaurum, de Polla vxore ſua.
CXLII.

ESſe tibi haud ſimiles natos quia Gaure dolebas,
Nec tibi nunc ſimiles, nec ſibi Polla facit.

Plato & Ariſtoteles. Ex ſententia Ficini Platonis interpretis.
CLXIII.

SEmideos inter Græci ſcripſere Platonem,
Dæmonas aſt inter Dux ſtagirita venit.

Doctrina & vita fuit humanus Stagirita,
Diuinuſque Plato more, nec ore minus.

Ad N.

CXLIV.

REptat humi mea Muſa, petit tua ſidera, noſtrū
Euoluent homines carmen, & aſtra tuum.

Cleopatræ interitus.

CXLV.

DEſperans animum captiuum reddere formæ
Cæſaris, Antonius cui famulatus erat,
In meritum captiua trahi metuenſque triumphum
Aſpide contorto carnibus ecce perit.
Sic perijſſe iuuat, meretrix Regina Canopi,
Vincula magnanimæ ſunt feriora nece.

De Adulteris.

CXLIV.

EXocularetur legem qui ſanxit adulter,
In proprio voluit fonte piare nefas.

Etiam obiter vitandæ fœminæ.

CXLV.

FRigoris aſperitas regnabat tanta, nec igne,
Vt pelli poſſet, veſte nec illa graui,
Dum niuis orbiculo petijt Galatea Leandrum,
In flammas abijt qui velut æthna nouus:
Luſitat acie puer Veneris, glacialibus ignes
Elicit ex niuibus, perpetuo que facit.

Mulier, malum.
Ex Democriti ſententia.

CXLVI.

CVr eſt parua tibi, ſapiens Democrite, coniux?
Elegi ex binis quod minus ipſe malum.

Amoris

Amoris de Hercule triumphus.

CLXVII.

QVē nō Geryones fregit, Leo, Taurus, Amazon,
Non Draco, Stymphalides, Sus Erimāthus, aues,
Augiæ ſtabulum, Diomedes, Cerberus, hydra,
Aeripidis cerui cornua, fregit Amor.

Munditias mulieribus, viris laborem conuenire. Marius apud Sall.

CXLVIII

MVndities muliebris erit lectiſſima ſexus,
Grandia maſculeo geſta labore virum.

De eodem ad Beltranum.

CXLIX.

MVndities muliebre ſapit, Beltrane, die?
Sumis ea partem, quàm muliebre ſapis?

De N. ſene edentulo.

CL.

EScarum gurges tantummodo natus ad eſcam
Inuidet heu quantum dentibus vſque canis?
Curque cani dentes tantùm inuidet? eſt Deus illi
Venter, & id quod habet ganeo nullus auet.

Muſica dorica, optima ex Plat. ſententia in Lachete.

CLI.

O Primus eſt vocum concentus doricus, vſque
Connectit factis, nam bona verba pijs.

Editorum nullus protector librorum.
CLII.

SVnt mala malitia propria mala carmina. cõtra
Quæ bona ſunt, propria ſunt bonitate bona,
Hinc protectores libris opus eſſe negamus,
Quòd non eſt illis, qui dare poſſit opem.

Ad N.
CLIII.

CVr tua non curem laudis præconia quæris?
Ex inhonorato laus inhoneſta fluit.

Ad Militem varijs tormentis opes humi ſepultas a diuite exigentem.
CLIII.

TOt tormentorum diues cur mole grauatur
Per te? diuitias quòd tumulauit humò.
Heu quantùm diro diues ſub ſidere natus,
Illum dum latitans copia perdit opum.

In nigro candor.
CLIV.

SI modò laudamus quæ candida ſcripta putamus,
Cur atramento ſcribimus illa nigro?

Ex nigriori maius lucis incrementum.
CLV.

CAndida quæ chartis committis, eò mage, lector,
Quò quò atramentum nigrius, illa nitent.

Cloe.
CLVI.

NE moreretur ab inteſtato argentea plorans
Vota ſuus coniux fecit auara Cloe;
Exau-

Exaudita fuit; nunc hæres facta bonorum
Aurea, quò pereat vir citò, vota facit.

De Venere meretrice, quæ meretricis morte ſeſe ad meliorem frugem recepit.

CLVII.

MOrte meretricis, mox ceſſit ab arte merendi;
Per nigram facta eſt candida, nigra Venus.

Quæ fuerint inſtrumenta peccandi, ſint & mortalibus inſtrumenta merendi.

CLVIII.

LIngua Lycambæis iambis armatur? ab illis
Abſtineat: cæli candida candor amat.
Potibus & nimijs eſcis gula peccat? ab illis
Abſtineat: cæli ianua parua nimis.
Terrenis oculus radix eſt mortis? ab illis
Abſtineat: Tellus dum latet, aſtra patent.
Eſt intenta malis animæ mors auris? ab illis
Abſtineat, capiet ſtelligerumque melos.
Tartara fœda manus vitijs tua laxat? ab illis
Abſtineat: tractat ſidera pura manus.
Cordis honeſtatem choreis pes calcat? ab illis
Abſtineat, meritum ſcandet ouanſque polum.
Eſt animæ lethum vitiorum fructus? ab illis
Abſtineat: virtus, vis animæque ſalus.

Ludouici Craſſi Francorum Regis memorabile Religionis exemplum.

CLIX.

O Buius angelicæ Craſſus dum prodijt eſcæ,
Eius adurebat viſcera febris edax.

Hæc eſt Virgo, in qua nec nodus originalis, nec nodus actualis culpæ fuit. Ex D.Ambroſ.

CLX.

Expoſitus iunci e ſta cur legifer vndis,
Hebreos merſo qui Pharaone beat?
Et cur non cedro potius quàm vimine iunci
Ciſta vel ex ligno nobiliore fuit?
Eſt opus alta canam iunci miſteria: Moſes
Eſt Chriſti, Matris ciſta figura Dei;
Nam Deus e cælo Mariæ deſcendit in aluum,
Vndis peccati ne premeretur homo;
Par fuit hinc fieret iuncis obnoxia nullis
nodis, vt nullis Virgo Maria notis.

De Virgine Deipara.

CXI.

DElicias mundi Titum dixere, quod eſſet,
Qua non donaret munera, nulla dies.
Nupta non nupta quid ego de Virgine dicam,
Quæ mundi votis tempus in omne fauet?

Egredietur virga de radice Ieſſe, & flos de radice eius aſcendet & requieſcet ſuper eum ſpiritus Domini. Iſa. 11.

CLXII

QVæ noua virga viret Dauidis in arbore? Virgo
Peccati nodis inuiolata diù.
Qui flos ex eius radice aſcendit? Ieſus
Flos campi, florum Rex, homo itemque Deus
Et, Flos & fructus; dignè qui veſcitur illo
De Satana nunquam deperiturus ouat.

Diuiſio

Diuiſio proprietatum ignis, caloris ſcilicet in inferno abſque luce, luciſq; in cælo abſque calore.

CLXIII.

CVr calor in ſtygijs vrit ſine luce cauernis?
Cur lux in cælis abſque calore nitet?
Cur in tartareis vrit ſine luce cauernis
Ignis? & in cælis abſque calore nitet?
Detur vt obſcuris acherontis victima flammis;
Roriferæ luci victima ſacra Deo.

Deus, humani amantior cordis quàm orbis.

CLXIV.

EStò terrarum dominus ſimulatq; profundi
Sis, vſufructus num tibi ſolus erit?
Eſt verus Dominus totius conditor orbis,
Te præter cui dans omnia, nulla dares.
Carior es cunctis, pro te nam cuncta creauit,
Hinc & pluſquam orbis munera cordis amat.

Fit bonus, qui deſinit eſſe malus.

CLXV.

SIt procul omne malũ, Dominũ nos corde precemur,
Nam dat adeſſe bonum, qui dat abeſſe malum.

E mortificatione carnis, animæ vita.

CLXVI.

FRigida de calidis, de ſiccis humida naſci,
E minimis fieri maxima ſæpe liquet.
Eſt hominum vitæ ſpatium fatale cuique,
Quod fuit, haud nunc eſt; non datur id, quod erit.
Spiritus e moritur vitæ, carniſque triumphis,
Spiritus vt viuat, mortificanda caro eſt.

Ap

Ad D. Ioſephum.
CLXVII.

EXtollant alij veterum decora alta parentum,
Quod Ioſephus habes eſt decus omne tuum.
Eſt decus omne tuum, Ioſephe, videlicet altè
In cunctis decoris quod fuit, vnus habes.

Thaletis caſus.
CLXVIII.

INcidit in foueam Thales Mileſius alti
Intentè ſeruans regia tecta poli;
E ſeptem ſeruæ quamuis ſapientibus vnus
Materiam riſus ſuggerit ille ſuæ:
Ridiculus ſanè caſus! ſublimia cernit;
Proxima quæ pedibus non videt ille terit.

De eodem.
CLXIX.

SVnt modo complures Thaletes; peruidet ille
Quid ſit homo, viuat quà ratione latet.
Alter in alterius feſtucam lumine luſtrat
Inque ſuo grandem non videt eſſe trabem:
Vt rectè viuant,alijs ſi viuere ſanctum eſt,
Sanctiùs eſt primùm viuere quemque ſibi.

Rerum viciſſitudo.
CLXX.

ECce dies nocti ſuccedit, noxque diei,
Ex requie labor eſt, exque labore quies.
Cæli, qui roſeis ſplendoribus emicat, axem
Eripient grando; nubila, nimbus,aquæ.
Eſt poſtquam tumidis agitatum fluctibus æquor,
Fert pacem ſpirans leniter aura mari.
Quam modo florigero vernantem gramine terram
Cernimus,horreſcet frigore preſſa graui.

Proti-

Protinus in tenuem euaneſcit mulciber auram,
Ipſaque mulcibero ceſſerat aura priùs.

De eodem.

CLXXI.

ELementa diù variè certantia ſecum,
Vt varium Proteum mox variata vides;
Ignis ſi proprio diſcindit acumine terram,
Hæc abit in ſpecies aeris, ignis, aquæ.
Diſcindantur aquæ vel ab igne, vel aere, moxque
In ſpecies migrant aeris, ignis, aquæ.
Ipſius partes congreſſæ rurſus & ipſis
Reſtaurant terram ſe copulando ſibi:
Mutatur variè mundus, ſurſumque deorſumque
Atque, vt Homerus ait, fluminis inſtar abit.

De eodem.

CLXXIII.

MAne Senatorum Seianus ab ordine cinctus,
Veſpere per populum dilaceratus obit.
Inter Quirites Craſſus ditiſſimus omnes
Decoctis rebus mortis iniuit iter.
Qui lautis menſis ſtrato Beliſarius oſtro
Adfuit, exiguæ mendicat æra ſtipis.
Illicò fit Saulus mutato nomine Paulus;
Iam ſtyge qui dignus, fur bonus aſtra rapit.
Heraclitus erat, qui nunc Democritus exit,
Eſt Irus factus, qui modò Cræſus erat;
Et ſic aduerſos inter caſuſque ſecundos
Humanum creſcit deſtruiturque genus.

Aureæ compedes, opes & dignitates.

CLXXII.

MVnia, diuitiæ, faſces ſeruilia vincla
Corpora, non animos, illaqueare ſolent.

Roſæ caducitas.

CLXXIII.

QVæ roſa manè vigens ſpinis armata ſuperbit
Purpureis folijs, arida nocte cadit.

Mors vita pretioſior & pernicioſior.

CLXXIV.

MOrs pretioſa magis vita, dat vilia vita;
Sed mors ad cælos dux ſolet eſſe bonis.
Pernicioſa magis vita mors, vita laborum
Ianua, mors prauis ad ſty ga pandit iter.

Sol à quibuſdam vt Deus habitus.

CLXXV.

QVi Solem fecere Deum, pietate videntur
Dignis oculis tenebras viſus Apollo parit.

De eodem.

CLXXVI.

TErq; quaterq; diù miſeri, queis luminis author
Pithius æternæ noctis origo fuit!

De muneribus ſibi ab Illuſtriſs. & Excellētiſs. Duce Petro ab Altæmps datis.

CLXXVII.

REſpectu dantis dederit mihi munera Princeps
Quamuis parua, tamen munera magna tuli,
Magna tuli, melius ſi dixero maxima, namque
A cunctis munus qui capit, ille dedit.

Caper perſicus eidem D. Duci ab Altæmps dono datus.

CLXXVIII.

VEllera non Seres folijs depexa loquatur,
Nec villos iactet caſpia capra ſuos.

Nam

Iam candore capri villus de Perſide miſſi
Mollitie vincit ſerica, vincit ebur.

In obitum D. Caroli Antonij Vitutij doctiſſimi & prudentiſſimi viri.

CLXXIX.

E Viuis Carolum dicunt migraſſe, negaſſet
Sic alijs vitam qui dedit, ille ſibi
Errant; non moritur ſiquidem poſt funeris horam,
Cuius florido or ſemper imago viget.

Nullus amans, felix.

CLXXX.

A Thes frater Amor, ſoror inde cupidinis Athé,
Athe curarum Numen, amoris Amor.
In nobis regnant, varia ſed ſede morantur,
Humanas mentes calcat hic, illa caput.
Et licet eſſe queat fatis agitatus acerbis,
Exulet è cuius mente ſuauis amor,
Cur felix & amans nullus verſetur in orbe,
Id poterit verè dicere quiſquis amat.

Cur natrix viperaque lethales?

CLXXXI.

C Vm Deus hũc mũdũ pro nobis fecerit, ad quid
Lethalis natrix, vipera facta fuit?
Vt mortis memores eſſemus iugiter omnes,
Cauſa viæ rectæ ſunt monumenta necis.

Deus.

CLXXXII.

N On peccatoris mortem, vult Conditor Orbis,
Conuerſus vitæ ſed trahat ille dies.

Pecca-

Peccator.

CLXXXIII.

PEccator finis vellet ſibi nullus ineſſet,
Peccandi finis quò ſibi nulla foret.

Illuſtriſs. & Excellentiſs. D. Petro ab Altæmps Ciuitatis Galleſij Duci &c.

CLXXXIV.

CAlcitrat hinnus vti nimia pinguedine, Petre,
Quem populum dulci ſub ditione trahis:
Immenſi loris frænas hunc ſolus amoris:
Nec ſatis Alcides ipſe duobus erat:
His ego nec ſtupeo, non vi dominaris vt ille:
Solus amor nouit flectere corda virum.

Venator, pauper.

CLXXXV.

AVrea quadrupedes, volucres argentea ſternat
Cum pila, venator diues vt eſſe poteſt?

Ad Illuſtriſs. & Excellentiſs. D. D. Ioſephum Mariam ab Altæmps in Confirmationis Sacramento ſpiritualis filij vinculo ſibi adſtrictum.

CLXXXVI.

INgenio ſummus, pulcherrimus ore niteſcis:
Par domui Dominus, par Dominoque domus.

IO. FRANCISCI RAYMVNDI

VMBRARVM GENIALIVM POLITICARVM

Siue

VETERVM SAPIENTVM DE CIVILI VITA SENTENTIARVM

CENTVRIA PRIMA.

I.

Ab Ioue Principium.

Omnibus in rebus & dicendis & cogitandis principium ſemper à Dijs eſt faciendum.
Plat. Ep. 8. ad Amicos.

PRincipium felix à rerum principe Cauſa,
Quæ ſine principio, principijſque prior.

II.

Rerum vices.

Omnia tempus habent, & ſuis ſpatijs tranſeunt vniuerſa ſub cælo. Eccleſ. III.

CVncta Deus numero, menſura & pondere fecit,
Debent enaſci, creſcere, poſtque mori.

Vnde

III.

Vnde Fatum?

Ex quo ſuſpenſa ſunt omnia, à quo ſunt omnes cauſæ cauſarum. Sen.11. Quæſt.

OMnia qui fecit, ſuſpendit & omnia ſolus,
Eſt author fati, non vaga ſtella, Deus.

IV.

Vnitatis parens, vna Religio.

Vnus Deus, vna fides, vnum baptiſma. D. Paulus ad Epheſ.cap.4.

HÆc Genti Doctor Gentis, baptiſma ſit vnum,
Vnus ſit Dominus, ſit ſimul vna fides.

V.

Multitudinis credentium ſit cor vnum & anima vna. In Actib. Apoſt. cap.4.

ZElotypus Deus eſt animarum numen & vnum,
Nos vt amet, nobis vnicus extet amor.

VI.

Prius mori, quàm fœdari.

Manſuetè ſubire decet & mortẽ, & quoduis aliud ſupplicium, priuſquam quidquã agamus iniquè. Plat.Crito.

QVàm leuibus cæli culpis offendere Regem
Expedit extremo claudere fata die.

Nil

VII.

Nil Religione præſtantius.

Diuino imbuti ſpiritu Dÿ per gratiam ab eo, qui ſolus per naturã Deus eſt, creati. Philotenus Patriar. Conſtãtin.

Rebus in humanis cum nil præſtantius extet
Relligione, nihil carius adſit ea.

VIII.

Proximus Deo, Religionis vindex.

Iure ille à Dÿs proximus habetur, per quem Deorum Maieſtas vindicatur. Iuſtin. lib. 8.

Maieſtate Dei maius nec ſanctius vſquam,
Eius qui vindex, proximus ille Deo.

IX.

In diuinis innouantes, coercendi.

Noua quadã Numina hi tales introducẽtes, multos impellunt ad mutationẽ rerum. Macen. apud Dio. lib 52.

Diuiſus populus varium qui Numen adorat,
Imperij varium nomen habere cupit.

X.

Fortuna cum moribus immutatur.

Imperium ÿs artibus facillimè retinetur, quibus initio partum eſt. Sall. Catil.

Queis partum, ſtudijs Regnum ſeruatur ijſdem,
Mos nouus imperium mox variare poteſt.

Melius

XI.

Melius vt pereat vnus quàm vnitas.

Sæpè ſanata ſunt tempore, quæ ratione ſanari non poterant. Sen. de Mor.

PEſtifer vrendus turbo, ni turba reſiſtet,
Si ſecus, huncue dies ſanet, & alta quies:

XII.

Vitioſæ partes ſanandæ, non execandæ.

In fidibus ſi quid diſcrepat non abrumpes per iracundiam, ſed paulatim reducis ad concentum, in fide cur non idem fit? I. Lipſ. lib. 4. cap. 4.

IN fide paulatim ſi diſſona, conſona reddis,
Cur hæc in ſacra non facienda fide?

XIII.

Fides ſuadenda, non imperanda.

Nihil tã voluntarium quã religio, in qua ſi animus auerſus eſt, iam ſublata, iam nulla eſt. Lactant. l. 5. c. 4.

COr flectet Doctor, non Tortor, quòd Deus vnus
Cuiuſuis Regnum mentis, & entis habet.

XIV.

Bis pœnitentes, ter boni.

Multo firmior eſt fides, quam reponit pœnitentia. Lactant. lib. 10. cap. 13.

QVi nõ peccauit bonus eſt. Quem pœnituit bis,
Quòd bis peccauit; ter bonus ille fuit.

Fides

XV.

Fides, ciuilis vitæ fundamentum.

Infirmatis violatiſque pactis tollitur inter homines commerciorum vſus. Ariſt. Rhet. ad Theod. 1. cap. 15.

QVæ decus eſt cæli ſuperis gratiſſima, Iuris
Fundamenta fides cur violatur humi?

XVI.

Fides, Reipublicæ munimentum.

Nec vlla res vehementius Rempubl. continet, quàm fides. Cic. in Offic.

CVi ſua res fuerit, necnon Reſpublica curæ,
In primis cordi ſit veneranda fides.

XVII.

Fides, humani generis columen.

Fidem in Capitolio vicinam Iouis Optimi Maximi eſſe voluerunt. Cato Cenſorius.

VIcinam voluere fidem Capitolia Diuum
Regi, quòd noſtri cum Ioue præſes erat.

XVIII.

Homo, Dei Templum.

Manet Chriſtus in nobis cum ſumus templum eius. Auguſt. tract. 27. In Ioan.

TEmpla Dei ſumus, hunc Dominum veneramur (vbiq;
Eſt cor ara Dei, victima noſtra fides.

Pie-

XIX.

Præclara ingenij facinora, immortalia.

Si barbarorum eſt in dies viuere, noſtra conſilia ſempiternum tempus ſpectare debent. Cic. 11. *de Orat.*

QVæ gerimus tanquã nunquã peritura geramus,
In præſens viuunt barbarus atque feræ.

XX.

Quod tibi non vis, alteri ne feceris.

Si ſponte omnia egeris, quæ velles aliũ in te imperiũ habẽtẽ agere, nulla in re peccabis, omnia proſperè cõficies, vitamque exinde & ſuauiſsimam & tutiſsimam duces. Mac. Ad Caſ. Oct.

QVæ tibi non velles, alij ne feceris, & ſic
Vita futura diù tuta, decora tibi.

XXI.

Exaſperat feruorem vulneris ferendi impatientia.

Vitia erunt, donec homines: ſed nec hæc continua, & interuentu meliorum penſantur. Tac. 4 *Hiſt.*

SPe meliora tibi Regnantum iuſſa futura,
Præſentis Domini qualiacunque feras.

XXII.

Maioribus celeriter obſequendum.

Michael in lib. 8. *Daniel. Gabrieli imperat, vt Propheta viſionẽ declaret his verbis: fac intelligere iſtã viſionẽ &c.*

ANgelus exequitur maioris iuſſa repentè,
Cur ea mortalis nonniſi ſerò facit?

Homini

XXIII.

Homini delatum in cætera ius imperij.

Homo Princeps & Rex, conſtitutus eſt ſuper omnes res terreſtres, quia libera voluntate facit quod vult, ſicut ipſe Deus. Athan.lib.Quæſt.ad Ant.88.

NAturę humani generis ſeruire repugnat:
Solus homo quod vult, vt Deus ipſe, facit.

XXIV.

Melior obcdiẽtia quã victima.

Graue eſſet ſi Deus ad donaria & ſacrificia noſtra reſpiceret potius quam ad animum, vtrum iuſtus ſanctu'q; ſit, Deus autem vtpote à muneribus incorruptus ſpernit hæc omnia. Plat. Alcibiad. ſ primus.

SVb pede res hominis ſubiectæ, non homo rebus;
Corde pio potior victima nulla Deo.

XXV.

E rerum deſpicientia ſui regnum.

Cum perſpiciat vitam hominum varijs fortunæ motibus aſsiduè agitari, præſentibus bonis efferri non ſinit, nec felicitatem cuiuſquam admirari, quæ temporum mutationi ſubiecta ſit. Plut. Solon.

QViſque ſui rex eſſe poteſt, qui mentis ab arce
Hæc videt & ridet, rex erit ille ſui.

XXVI.

Corporis luxus, honeſtatis ſepulcrum.

Honeſtum illi vile eſt, cui corpus nimis carum eſt. Sen. epiſt.

QVid veſtes & opes? curas quid corpus? honeſtũ?
Illis vile; quibus corpora cara nimis.

C Per

XXVII.

Per gulam homo excidit ab homine.

Vt ignaua animalia, ſi cibum ſuggeras, iacent, torpentque & præterita, inſtantia, futura pari obliuione dimittunt. Tac. 11. Hiſt.

NOn placuere Tiberius atque Vitellius olim,
Quod fuit hic vitulus, biberiuſque prior.

XXVIII.

Cibus animi, doctorum ſermo virorum.

Quorum lectione nutritur animus, non ea coquendo conſumit, ſed memoria cuſtodit, & ſine corruptione repullulantia feliciſsimè propagat.

DVm dapibus corpus, mentem ſermone periti
Paſcite, ſunt animi verba perita cibus.

XXIX.

A gulæ delicijs, animi excidiũ.

Ex repletione carnaliũ hebetatur mens, ſenſus obtunditur. animus diſsipatur. B. Laur. Iuſt. de Diſcipl. Mon. c. 20.

FRangitur immodicis animi cũ corpore fœdus
Eſcis? cum modicis fœdus inire velis.

XXX.

Annibal Martis terror, ſeruus libidinis.

Secũdæ res acrioribus ſtimulis animũ explorant, quia miſeria tolerantur, felicitate corrumpimur. Tac. 1. Hiſt.

CVi ſanguis potus, Tyrius, cui fercula cædes,
fortunæ in gremio victus amore iacet.

Malo-

XXXI.
Malorum eſca, felicitas.

Nulla infelicitas frangit quem felicitas nulla corrumpit. Auguſtin Pſal. 83.

IOb qui fortunæ cor non impleuerat auris,
His Domino grates mox viduatus agit.

XXXII.
E curis viſio ſalutaris.

Ei natura datum erat vt in rebus aduerſis difficillimiſque ſeſe ipſe virtute ſuperaret, & quanto magis fortuna premeretur, tanto bono viro efficeretur ſimilior. Plut. de M. Antonio.

HVmanos acuunt curarum pondera viſus,
His; poſt delicias viſio lapſa, redit.

XXXIII.
Lachrymæ, felicitatis radix.

Lachrymarum valiis nuncupatur hic mundus, vt in illo degentes, nullum verum norint inueniri poſſe ſolatiũ. B. Laur. Iuſt de Int. conſl. cap. 1

SI mundus fletus vallis, fauſtiſſima ſedes
Eſt, cuius lachrymas angulus omnis habet.

XXXIV.
Mundus, lachrymarum vallis, non gaudij.

Potum meum (vitam ſcilicet) cum fletu miſcebam.

ORtus vagitu, cum fletu viuere mixtum,
Occaſus nimbos heu quot amarus habet!

XXXV.

Aula mortificationis ſchola.

Interrogatus veteranus quiſpiam quomodo rariſsimam rem in aulam conſecutus eſſet ſenectutem? iniurias, inquit, ferendo & gratias agendo. Sen. 11. de Ira apud I. Lipſ. l. 3. c. 11.

Ille ſenex, inquit, ſenio confectus in aula
Sum, quia probra tuli, grataque verba dedi.

XXXVI.

Ex obſequio dignitas.

Quanto quis obſequio promptior, honoribus & opibus extolletur. Tac. 11. Ann.

Aulicus obſequio præſtet, non inuidus, audax
Non nimis, & gratus. Qui facit iſta, ſapit.

XXXVII.

Honos, obſequij partus.

Noueris te hac omnia genus, libertatem, progenitores ante limitem relinquere. Lucianus ad Aulicum.

Nobilibus Populus, Doctis Schola donat honores,
Illi, qui melius ſeruiet, Aula dabit.

XXXVIII.

Maxima ars, artem non videri, vbi eſt ars.

Summæ ſcientiæ eſt philoſophari ita, vt hoc non videaris agere, & ludentem res ſerias conficere. Plato.

Ingenij cunctas ad maxima vertito vires,
Vis tamen ingenij ne videatur, age.

De

XXXIX.

De eodem.

E St operæpretium ſapientem condere dotes
Et meritum, damnum quæ ſibi ferre queunt.

XL.

Virtus, proprium hominis bonum.

Et diuitiarum & formæ gloria fluxa atque fragilis eſt, virtus clara, æternaque habetur. Sall. Catil.

R Es immortalis mortali contigit vna
Virtus, cum gazis gloria, forma perit.

XLI.

Perfecta felicitas, virtutis vſus.

Hominẽ ad duas res, vt ait Ariſtoteles, ad intelligendum & agendũ eſſe natum quaſi mortalẽ Deũ. Cic. 2. de fin.

S Emina virtutum data ſunt cuicũq; colentes
Ingenij terram meſſis opima beat.

XLII.

Nihil virtute pulchrius, nihil honeſtius, nihil diuinius.

Nihil tam altum natura conſtituit, quo virtus non poſſit eniti. Alexand. apud Q. Curt. lib. 7.

C Ontra virtutem nil, eſt ſuper omnia virtus,
Quẽ penes eſt virtus ſunt bona cuncta ſimul.

XLII.

Inuidia, inuidis maximum tormentum.

Vulgarium animarum oculi diuinitatis radios ſuſtinere non poſſunt. Plat Alcibiades primus.

INuidię venti virtutis lumina perflant;
Mox tenebras Solis qui videt ora, bibit.

XLIV.

Nulli obnoxia, virtus.

Aduerſus virtutem hoc poſſunt calamitates & damna, & iniuria, quod aduerſus Solē nebula poteſt. Sen. ep. 113.

QVem penes eſt virtus iniuria, damna, labores
Poſſunt in Solem quod globus ater aquæ.

LXV.

Princeps, altior iniuria.

Conuicia, ſi iraſcare, agnita videntur, ſpreta exoleſcunt. Tac. 4. Ann.

AGnita ne monſtres conuicia, ſit procul ira,
Si nihili fient, nulla futura ſcias.

LXVI.

Diſſimulanda conuicia, non vlciſcenda.

Iniquum eſt ea ægre ferre velle, quæ ſi vera ſunt præſtat non admiſiſſe, ſin falſa, diſsimulare. Mac. apud Dio. Caſſ.

NOn ferient quæ ſpōtè feres tacituſue, ſed ægrè,
Verba, ſua non vi, debilitate tua.

LXVII.

Gloria, meritorum pabulum.

Egregia hominum facta etiam maiori, quam mereantur honore ſunt ornanda, ita enim potiſſimum efficies humanitate tua, vt à deterioribus abſtineant, & munificentia vt meliora ſequantur. Dio.Caſſ.

I Eiunis meritis (meritorum gloria paſtus
Eſt) Virtus puro preſſa labore perit.

LXVIII.

Spes & ſcientia.

Vltima perfectio hominis eſt vt ſit perfectus per ſcientiam, & hac eſt ſibi vltima felicitas & ſempiterna vita. Ariſt. Phiſ. in Prologo.

IVncta ſpei templis ſua templa ſcientia vidit;
Reſpondent meritis præmia iure ſuis.

LXIX.

Præmia, ſtudiorum vita.

Sublatis ſtudiorum pretijs, etiam ſtudia pereunt. Tac. II. Ann.

NE pereat ſtudium, ſtudijs ne præmia deſint,
Præmia ſunt faſces, gloria, ſplendor, opes.

L.

Iuſtitia, inſtar ſolis illucet.

Niſi iuſtitia veluti ſol imperiorum omne corpus illuceat: tenebræ in ijs, tempeſtas, Nimbi. I. Lipſ. l. II. c. 10.

NI Sol iuſtitiæ terræ circundaret orbem,
Mox ſceleru̅ tenebris opprimeretur humus.

LI.

Ars viuendi, Prudentia.

Sicut languor eſt morbus corporis, ita malitia eſt morbus animæ. Sen. lib.4. de Conſol.

E St ars viuendi rectè prudentia, noſter
Hac animus, medica corpus vt arte, valet.

LII.

Prudentis officium.

Si prudens eſt animus tuus tribus temporibus diſpenſetur, præſentia ordinet, futura prouideat, præterita recordetur. Auth.lib.de 4.Virt.

V T ſibi prudentes ſtudeant, rebuſque ſuorum,
Præteriti memores mente futura vident.

LIII.

Prudentia, dux ad præclara facinora.

Fieri non poteſt vt quiſquam verè probus ſine prudentia audiat. Ariſt.4.Ethic.cap.5.

D Vx ad opus clarum prudentia ſola præibit,
Auditor verè qua ſine nemo probus.

LIV.

Prudentia, nuſquam eadem.

Rerum ſingularum prudentia eſt, quæ nota homini per vſum fiunt. Ariſt 4 Ethic.cap.8.

V Su quæ fiunt notæ prudentia rerum
Eſt, quæ cum variæ ſint, variatur ea.

omnia,

LV.

Omnia ſemper in motu.

Prudentia non vbique vna, vt nec in vna re, vna. I. Lipſ. lib. 4. cap 1.

REbus in incertis cum ſit prudentia, detur
Et rerum motus, mobilis ipſa quoque.

LV.

Nihil natura ſua perfectum.

Virtus etſi quoſdam impetus à natura ſumit, tamen perficienda doctrina eſt. Quint. lib 12. cap. 11.

PErfectum nihil eſt ex omnî parte creatum,
Vſu, doctrina perficiatur opus.

LVII.

Non ſapit, qui nimis ſapit.

Plus ſcire velle quam ſatis ſit, intemperantiæ genus eſt. Sen. Epiſt. 89.

QVi plus ſcire ſatis quàm ſit vult, deſipit ille,
Verè non, nimium qui ſapit, ille ſapit.

LVIII.

Studeamus, vt boni efficiamur.

Vt omnium rerum, ſic literarum intemperantia quoque laboramus; nec vitæ, ſed ſcholæ diſcimus. Sen. Ep. 107.

DOctrinæ nimio ſtudio quicumque tenetur
(Vaticinor) vitæ non, ſtudet ille ſcholæ.

LIX.

Arduum, in ſcientiæ ſtudio tenere modum.

Studio ſcientiæ flagrantem animum coercuit, tenuitque quod eſt difficillimum, ex ſapientia modum. Tac. in Agric.

MAgnanimum pectus flagrans ardore ſciendi
In ſtudijs res eſt ſumma tenere modum.

LX.

Vulgus, nonnunquam Sophiſtis ſapientius.

Plus ſapit interdum vulgus, quia tantum, quantum opus eſt, ſapit. Lactant. lib. II. Inſtit.

PLus ſapit indoctus vulgus quandoq; ſophiſtis,
Quòd tantum, quantum conuenit, ille ſapit.

LXI.

Doctrina futilis, inutilis.

Ranæ clamantes paludibus limoſis ſtrepitum habere poſſunt, doctrinam vera ſapientia inſinuare non poſſunt. Auguſt. Serm 95.

DVx ad virtutes ornet ſapientia mentes;
Futilis haud animis vtilis eſſe poteſt.

LXII.

Sapiens, ſermone lenis, non leuis.

Specie obſequij regunt, ad omniaq; quæ agenda ſunt quieta cum induſtria adſunt. Tac. n I. Hiſt.

MOlitur ſapiens quæ ſunt peragenda quietè;
Labuntur minimo flumina magna ſono.

Vbi

LIII.

Vbi loquentiæ multum, ſapientiæ parum.

Qui doctrina ore tenus exerciti animum bonis artibus non imbuerunt. Tac. 15. Ann.

OS prudens in corde gerit, cor ſtultus in ore,
Hinc multum loquitur ſtultus, & ille parum.

LXIV.

Lingua vulnera, exitialia.

Ex verbis, quæ certè leuiſsima res eſt, odia grauiſsima & inimicitiæ ſæpè naſcuntur. Plato de legib. primus Dial. 11.

LIngua petit famam, enſis corpus, ſanat at enſis
Parua quies, linguæ vulnera nulla dies.

LV.

Lues animæ, malorum conſuetudo.

A bonis bona perdiſces, quod ſi malis adhæſeris, quā habes mentem proculdubio perdes. Plat Meno.

PRoxima dum ſubeunt vitiorum toxica ſerpunt,
Contactuque necant, non ſecus atque lues,

LXVI.

Qui tetigerit picem, inquinabitur ab ea.

Ante circunſpiciendum eſt cum quibus edas & bibas, quam quid edas & bibas. Sen. Ep. 11.

QVid bibat, & quid edat certè cuicūq; ſtudendū
Non mage quàm ſecū quis bibat, & quis edat.

LXVII.

Nequitia ipſa, ſui pœna.

Iuſſiſti Domine, & ſic eſt, vt omnis inordinatus appetitus ſibi pœna ſit. Auguſt. in Confeſſ.

COnſcia mens ſcelerum ſe cædit, vexat & vrit
Morte ſibi grauior, quòd ſine morte furit.

LXVII.

Conſcientia, virtuti amplum theatrum.

Eſſe quam videri probus malis. Salluſt. in Catil.

A te ſume tibi laudem probitatis alumno,
Intima quæ, probitas eſt ea ſola proba.

LXIX.

Recta conſcientia, beatitudo.

Tranquilla conſcientia nihil excogitari beatius poteſt. Auguſt. de Ciuit. 21.

SE ſe tranquillat recti mens conſcia, nulla
Res eſt tranquilla mente beata magis.

LXX.

Bona conſcientia, metu vacua, & contra.

Neque timeant ij, qui nihil admiſerunt, & pœnam ſemper ante oculos verſari putent qui peccauerunt. Cic. pro Mil.

MEns ſibi vel praui, vel recti teſtis inhæret
Iugiter, hæc requie diues, & illa metu.

Aſſ-

LXXI.

Aſſiduus carnifex, mala conſcientia.

Sicut probis probitas eſt præmium, ita malis nequitia eſt ſupplicium. Boet. de Conſ. lib. 4.

ÆTernis agitur curis mens teſtis iniqui,
Vis nunquam triſtis viuere? viue bene.

LXXII.

Imperium, Reipubl. fundamentum.

Imperium eſt vinculum, per quod Reſpubl. cohæret, ille ſpiritus vitalis, quem hæc tot millia trahunt. Sen. 1. de Clem.

IMperij vinclis Reſpublica tota cohæret,
His ſine ad interitum præcipitata ruit.

LXXIII.

De eodem.

Nihil Reſpubl. per ſe futura, niſi onus & præda, ſi mens illa Imperij ſubtrahatur. Sen. ibid.

MEns regit Imperij quicquid reperitur in orbe,
Non ſecus atq; animæ corpora noſtra regũt.

LXXIV.

Regij liberi, columnæ Regni.

Non legiones, non claſſes æquè firma Imperij munimenta quàm numerus liberorum. Tac. 5. Hiſt.

NOn legio, non claſſis, opũ nõ pondera firmant
Imperium, proles vt numeroſa facit.

Regis

LXXV.

Regis munimentum, certus eius ſucceſſor.

Orbitas mea quod ſine liberis ſum, ſpernitur. Alexander Magnus apud Q. Curt. lib. 6.

SPernere cur orbis domitor? poſt funera magnũ eſt
Regibus in natis viuere poſſe ſuis.

LXXVI.

Rerum viciſſitudo.

Reges quoque extitere de caprarÿs, quiſpiam poeta cecinit. Dio. lib. 6.

E Seruis Reges, ſeruos e Regibus ortos
Sciret, cui notus ſanguinis ordo foret.

LXXVII.

Imperaturus omnibus, ex omnibus eligendus.

Naſci & generari à Principibus fortuitum eſt, nec vltra æſtimatur, cooptandi iudiciũ integrũ, & ſi eligere velis, conſenſu monſtratur. Tac. 1. Hiſt.

QVi præſit cunctis e cunctis elige; ſanè
Ars dux Natura certior eſſe ſolet.

LXXVIII.

Maſculinũ, naturaliter dignius fœminino. Ariſt.

Quicquid maſculum natura magis factum ad imperandum fœmineo. Idem 1. Polit. cap. 8.

NAtus ad imperiũ mage mas, quã fœmina: quare?
Eſt mare natura fœmina digna minus.

Regnum

LXXIX.

Regnum, ſeruitus glorioſa.

Rex eligitur non vt ſe è molliter curet, ſed vt per ipſum ij, qui elegerunt, benè beatéque agant. Xenophon in Mem. Socr. lib. III.

NOn Rex eligitur vitam quò ducat inertem,
Vt verè per eum quiſque beatus agat.

LXXX.

Princeps, ſolis ſimulacrum:

Debet Princeps commoda ciuiũ non diuellere, atq; omnes eadem æquitate continere. Cic. II. de Offic.

OMnibus, vt Phœbus, Princeps enaſcitur; omnes
E cœli medio Sol videt atque fouet.

LXXXI.

Impetrare, melius quàm imperare.

Themiſtocles ad Andrios legatus ſuper pecunia, duobus Dijs comitatum venire ſe dixit Suada & Violentia. Plutarc. Themiſt.

EXigat à populo Dea vis, Dea Suada tributum,
Si prior, id melius Diua Suada feret.

LXXXII.

Tondendum pecus, non deglubendum.

Qui nimis emungit, elicit ſanguinem. Prouerb. Sal. cap. 30.

QValis apis flores, delibes commoda plebis,
Eſt tondere bonum, decoriare malum.

LXXXIII.

De eodem.

Hortulanum odi, qui ab radice olera exſcindit.
Plutarc.

NOn pecoris paſtor diteſcit ſanguine, verùm
Multiplicata parit copia lactis opes.

LXXXIV.

Auaritia in Potentatibus, vitiorum regina.

Nullum vitium tetrius auaritia, præſertim in Principibus & Reip. Gubernatoribus. Cic. li. de offic.

ODit auaritiam Procerum Plebs inuida; vitam
(Ni Numen) numo credit ineſſe ſuo.

LXXXV.

Ex Venere & diuitijs, venere vitia.

Vbi diuitiarum cupido inuaſit, neque diſciplina, neque bona artes. Saluſt. ad Caſ.

REx vbi ſeruus opum, Veneriſq; cupidinis errat,
Vileſcunt probitas, ars, pudor atque fides.

LXXXVI.

Plurimum habet, qui minimum cupit.

Virtuti nec Deo carus, cui nimis cara opes.
I. Lipſius.

ARdor opum tenuis, fit cæli maximus, ingens:
Non placet ille Deo, cui placet ardor opum.

Maximæ:

LXXXVII.

Maximæ diuitiæ, non deſiderare diuitias.

Conſidera tecũ quantum natura poſcat, & non quantum cupiditas expetat, ſi continens fueris, eo vſque peruenies vt te ipſo contentus ſis, nam qui ſibi ipſi ſatis eſt cum diuitÿs natus eſt. Sen. de 4. virt.

ESt mare paupertas, aurum ſplendeſcit vt aſtris,
Dædaleis pennis inter vtrumque vola.

LXXXVIII.

Beatitas ciuium, ſit Principum ſtudium.

Moderatori Reip. beata ciuiũ vita propoſita eſt, vt opibus firma, copÿs locuples, gloria ampla, virtute honeſta ſit. Cic. 5. de Rep.

PVblica vos moueant, non cõmoda veſtra, beatus
Sit ciuis veſter terminus atque modus.

LXXXIX.

Ita præſit, vt proſit.

Omnium ſomnos illius vigilantia defendit omnium otium illius labor, omnium delicias illius induſtria, omnium vacationem illius occupatio. Sen. Conſ. ad Polyb.

OTia, delicias, ſomnum, ciuiſque quietem
Defendant vigiles voce manuque Duces.

XC.

Prudens, nunquam otio marcet.

Remiſſum aliquando animum habebit, nunquam ſolutum. Sen. Conſ. ad Polyb.

COrporeas animus vires aliquando remiſſus
Seque leuet, nunquam verò ſolutus erit.

Ludis

XCI.

Ludis animus aliquando reficiendus.

Vulgus cupiens voluptatum, & ſi trahat eò Princeps, lætum. Tac 14. Ann.

COpia ſit rerum, nec deſint ludicra, ludi
Humanos animos, copia corpus alit,

XCII.

Initia Magiſtratuum fere bona, ſecus finis.

Suone an ſeruitij ingenio dum adipiſcuntur dominationes multa caritate ſunt, & maiore odio poſtquam adepti. Tac. 12. Ann.

ESſe magiſtratus orſum laudabile famæ
Non ſatis eſt, finis namque coronat opus.

XCIII.

Famæ ſtudendum.

Inuiſum ſemel Principem ſeu benè, ſeu malè facta premunt. Tac. 1. Hiſt.

QValis fama tibi, non quam mereare cauendũ,
Ne ſemel inuiſum te bene facta premant.

XCIV.

Dux, Regni lux.

Omnia facta, dictaque Principis rumor excipit, nec magis ei quàm ſolitatere contingit.

CVm facti dictique tenax ſit fama Potentum,
Ni ſtudeant purè viuere, pura parùm.

Rerum

XCV.

Rerum arbitra, Poſteritas.

Amicorum contumelias ac maledicta per quandam manſuetudinis abundantiam modeſtè ac comitèr tolerabat, regium eſſe affirmans vt à quibus male audias, in eos magis ſis beneficus. Plutar.

CVr benè cum facias, audis malè? ſola decorem
Arbitra poſteritas dat cuicumque ſuum.

XCVI.

Hiſtoria, vitæ memoria. Cic.

Cuſtos illuſtrium virorum virtutis, teſtis malorum ſceleris, benefica in omne humanum genus. Diodor. Sicul. 1. Biblior.

VIrtutis cuſtos, ſceleris teſtiſque malorum
Vtilis humanum ſemper in omne genus.

XCVII.

Eadem, literarum lumen.

Exempla omnia iacerent in tenebris, niſi literarum lumen accederet. Cic. pro Archiâ.

O Bruta virtutum tenebris ſimulachra iacerent,
Doctrinæ lumen ni monumenta darent.

XCVIII.

Mortuus, optimus conſiliarius.

Alphonſus Siciliæ Rex optimos conſiliarios mortuos aiebat, intelligens hos ipſos hiſtoriæ libros, I. Lipſ. lib. 1. cap. 9.

OPtimus Alphonſo conſultor morte peremptus
Eſt viſus, quia fors liber & abſque dolo.

Hiſtoria,

XCIX.

Hiſtoria, vitæ magiſtra.

In hac hoc præcipuè ſalubre ac frugiferũ; omnis te exempli documenta in illuſtri poſita intueri. Liu. 1.

HIc vt in illuſtri virtus vitiumque morantur,
Hicq; quod effugias, quodq; ſequaris habes.

C.

Eadem, vitæ ſpeculum.

In hac tanquam in ſpeculo ornare & componere vitam ſuam ad alienas virtutes potes. Plutar. in Timoleonte.

HAc velut in ſpeculo poteris componere mores
Doctus ad Heroum grandia geſta tuos.

Finis primæ Centuriæ.

IO. FRANCISCI RAYMVNDI

VMBRARVM GENIALIVM POLITICARVM

Siue

VETERVM SAPIENTVM DE TOGATA PRVDENTIA

SENTENTIARVM CENTVRIA SECVNDA.

I.

Imperium diuiſum deſolabitur.

Oportet id quod optimum & maximum dicitur, eſſe vnum numero. Ariſt. lib. 7. Elen.

NE turbet mentes pariter diſcordia gentes,
Vnus Rex, vnus ſit Deus, vna fides.

II.

Ex Ioue Reges.

Rex, Deus quiſpiam humanus eſt. Plato in Politic.

EX Ioue ſunt Reges. Rex Iuppiter educat illos
Humanus quidam qui regit ergo Deus?

III.

Poteſtas & virtus ab Altiſſimo.

Per me Reges regnant, & legum conditores iuſta decernunt; Per me Principes imperant & potentes decernunt iuſtitiã. Dei Sapientia Prou.c.8.n.15.

CVi ſubſunt Reges? cælo, non mundus eorum
Patria, diuini neſcio quid ſapiunt.

IV.

Monarchia, potior quàm democratia.

Vnum imperij corpus vnius animo regendum videtur. Tac.1.Ann.

PRincipio Mundi Princeps fuit vnus Adamus,
Sub finem Princeps omnibus vnus erit.

V.

Duos non capit Regnum.

Cæterum nec mundus duobus ſolibus poteſt regi, nec duo ſumma regna ſaluo ſtatu terrarum poteſt habere. Alex. apud Q. Curt. lib.4.

POſſumus vnius ſolis vix ferre calores,
Ecquis multorum liber ab igne foret?

VI.

Dei ſimulacrum, Princeps.

Sicut Deus in cælo pulcherrimum ſui ipſius ſimulacrum conſtituit Solem & Lunam, talis eſt in Repub. imago & lumen Princeps. Plutarc.

ESt Regum ditio, populi reuerentia, Reges
In mundi templo ſunt ſimulacra Dei.

Bonum

VII.

Bonum ex ſcientia rerum.

Tibi ſi bonus fueris ac rectè imperaueris, vniuerſa terra templum erit, pro delubris omnes Vrbes, omnes homines pro ſtatuis, quorum in animis ſemper cum gloria inſidebis. Caſſ. Dio.

SI Reges ſimulacra Dei viuentia, ſaltem
Cognitio rerum ſit mediocris eis.

VIII.

Furor eſt, potentia ſine prudentia.

Vis prudentiæ adiuncta vſui eſt, ſine ea abit magis in noxam. Iſocrat. ad Demon.

IVncta bonis quædam deterrima toxica fiunt.
Ruſticitas animi vi comitante furor.

IX.

De eodem.

Nihil enim peſtilentius eſſe poteſtate & audacia, quam ignorantia comitetur. Plato.

PRincipis ignaui ſimilem dixere Cyclopem
Cæcum, vis cuius plena furore fuit.

X.

Qui ſibi nequam, cui alij bonus erit?

Arduum eſt valde vt qui neſcit tenere moderaminà vitæ ſuæ, iudex fiat vitæ alienæ. D. Thom. De Reg. Princ. lib. 3 c. 15.

NOn bene cū ſceptro capiet moderamina rerū
Qui nequit affectus frena tenere ſui.

Ini-

XI.

Initium ſapientiæ, timor Domini.

Dilectio Dei honorabilis ſapientia; corona ſapientiæ timor Domini. lib.Eccleſ.c.1.

SInt amor atq; timor Domini cũ Principe, frenũ
Nobile Magnanimis hic amor atque timor.

XII.

Turpe ſibi ſoli viuere.

Te conſiderare oportet nullum noſtrum ſibi ſolum natum eſſe, ſed ortus noſtri ſibi partem patriam vendicare, partem parentes, partem amicos. Plato. Archita Epiſt.9.

QVàm ſibi plus alijs ſi dux mortalibus ortus,
Eſt Dux plus alijs quàm ſibi viuat opus.

XIII.

Vbi honos, ibi onus.

Quanto quis altius erigitur, tanto curis grauioribus oneratur, eiſque ipſis populis mente & corpore ſupponitur. D Greg.c.1. Mor.

SVmmũ Regis onus, minimi ſunt eius honores.
Huius onus minimum, ſummus at eius honos.

XIV.

A cognitione ſui & vulgi rectum imperium.

Noſcenda Principi natura vulgi eſt, & quibus modis temperanter habeatur. Tac. Ann. III.

VT rectè poſſis ipſum te noſcito primum,
Quas es recturus noſce deinde Tribus.

Ex

XV.

Ex vtili, amor & obſequium.

Illius Principis magnitudo ſtabilis fundataque eſt, quem omnes tam ſupra ſe eſſe, quam pro ſe ſciunt. Sen. Conſ. ad Polyb.

QVi ſupra cuncto, pro cunctis eſſe ſtudebit,
Vt ſtet, in obſequijs vtile, pondus habet.

XVI.

Omnium dulciſſimum eſt, accipere.

Melius beneficijs imperium cuſtoditur quàm armis. Sen. de Breu. vitæ.

COnciliant animos pietas & munera gentis:
Armis conſeruant hæc duo regna magis.

XVII.

Talis populus, qualis Princeps.

Vnius inuidia & culpa ab omnibus peccatur. Tac apud I. Lipſ. lib. 11. cap. 9.

PRincipis inuidia & culpa ſi quilibet errat,
Heu quantus quiuis Principis error erit!

XVIII.

Princeps, ſubditorum ſeruus.

Perſona Principis non ſolum animis, ſed etiam oculis ſeruire debet ciuium. Cic. Phil. pp. 8.

CVm benè viuendi populo ſit regula Princeps,
Se benè componat corpore, mente magis.

XIX.

Fama, timenda.

Cauere debet qualem famam habeat, qui qualemcumque meruerit, magnam habiturus eſt. Sen. 1. de Clem.

QVã mala fama Duci volitat nõ flãma per agros
Maturæ ſegeti pernicioſa magis.

XX.

Rex ciuium, non ciues Regis.

Rex debet ſe habere ad ſubditos ſicut paſtor ad oues. Ariſt. lib 8. Ethic.

NOn ſecus atque gregi paſtor, Rex ciuibus eſto,
Non grex paſtoris, ſed datur ille gregi.

XXI.

Plebi nec veritas, nec iudicium.

Vulgus pecorum ritu antecedentium gregem ſequitur Sen. de Vita beata.

VNus poſt alium ſequitur plebs cæca Magiſtrũ,
Hi vulgi mores ſunt, imitatur oues.

XXII.

Eſt Principis imperium, ſubditorum obſequium.

Principi ſummum iudicium Dij dederunt, ſubditis obſequij gloria relicta eſt. Tac. 4. Ann.

SI caput eſt Princeps, ſunt ciues mẽbra, gubernet
Princeps, obſequij gloria ciuis erit.

Tu

XXIII.

Tu ciuem patremque geras. Claud.

Patris nomen Imperatoribus impoſitũ honoris gratia, vtq; admonitioni eſſet ipſis, vt ſubditos liberorum loco, hique rurſus ipſos veluti patres ſuos caros haberent. Dio. lib. 3.

VT cæli facies, Princeps, ſit veſtra, ſereni,
Vt genitor natis, Ciuibus eſto tuis.

XXIV.

Quanta, Principis dignitas.

Mihi à Deo, & à cælo videntur Venus quæpiam & gratia comitari ac ſubſequi virũ Principẽ. Xenoph. in Hier.

QVid ſuper humanas vires errare videtur
In duce, cui comites gratia, certa Venus.

XXV.

Ex clementia, gloria immortalis.

Nulla re propriùs homines ad Deum accedunt quàm ſalute hominibus danda. Cic. pro Ligar.

PArce ſalis grano ſic vult clementia, tanta
Virtus, cui partus gloria iugis erit.

XXVI.

Principes & ſubditi, clementiæ authores.

Regum Ducumque clementia non in ipſorum modo, ſed in illorum qui parent ingenijs ſita eſt. Alex. apud Q. Curt. l. 8.

ANnue parenti, non eſt clementia ſolum
Regis, in ingenijs eſt vtriuſque ſita.

XXVII.

Summum Ius, ſumma iniuria.

Qui etiam conſultum rebus volunt non ſummum ius perſequendo incommodare urbi, ſed etiã æquitate adhibita conſeruare decet Caſſ Dio.lib.44.

IN mare iuſtitiæ clementia natet, in eius
Naufraga fit ſummis cymba ſalutis aquis.

XXVIII.

Clementia, animorum vinculum.

Ariſtides Lacedamonios nõ armis, non claſsibus, nõ equeſtribus copÿs, ſed comitate, placabilitate, atq; clementia principatu Graciæ ſpoliabat. Plutar.

COrpora non, animos vincit clementia, nullus
Eius enim ſeruus, quiſquis amicus adeſt.

XXIX.

Modeſtia, rara auis in aula.

Contemptor animus & ſuperbia, commune nobilitatis malum. Sall. Iug.

NObilibus commune malum, deſpectio plebis
Necnon faſtus; in his degenerare bonum.

XXX.

Clementia, regni tutela.

Hæc ars inacceſſa, hoc inexpugnabile munimentum eſt munimento non egere. Plin. Paneg.

PLebs rigidos odit, rapitur clementis amore,
Fac pro te timeat, ne timeare caue.

Quem

XXXI.

Quem metuunt, oderunt.

Nulla vis imperij tanta eſt, quæ premente metu poſſit eſſe diuturna. Cic. 11 de offic.

E St odium proles terroris peſſima, iugis
Vis erit imperij nulla premente metu.

XXXII.

De eodem.

Et apparere non acerbum, ſed auguſtum, vt qui obnoxij ſiunt non metuant te, ſed magis vereantur.

E St odij terror deterrima cauſa? verendus
Et non horrendus ſis, vt ameris, ama.

XXXIII.

Plebis odium, exitiale.

[illegible] manus ſunt, tibi vna ceruix. Ex dicto Caligulæ.

E Xitiale Tribus odium furit, vnica Regi
Eſt ceruix, illi multiplicata manus.

XXXIV.

Odij contemptuſque vis, ab vtroque.

Cum duæ cauſæ ſint ob quas inſurgitur in Tyrannos, odium & contemptus. Ariſt. Polit. cap. 5.

N Il odium ſine contemptu, contemptus & ipſe
Nil facit abſque odio: vis ab vtroque ſimul.

XXXV.

Supra odium, contemptus.

Cauſa prima & motio euertendis regnis plerũq; ab odio eſt, ſed extrema & efficax maximè à cõtẽptu. I. Lipſ. l. 4. c. 12.

ACra frequens odij, ſed nunquã fracta, malignis
Contemptu in Reges florida regna cadent.

XXXVI.

In vulgo non datur medium.

Hac eſt natura multitudinis, aut ſeruit humiliter, aut ſuperbè dominatur, libertatem, qua media eſt nec ſpernere modicè, nec habere ſcit. Liu. 23.

PLebs libertatem, qua non pretioſius aurum,
Nec ſpernit modicè, nec ſcit habere rudis.

XXXVII.

Vulgus, pœnarum metu coercendum.

Reuoca fidem, comprime libidines, & quæ dilapſa fluxerunt ſeueris legibus vinci. Cic. pro Marcell.

AFflinet á prauis pœnis, non turba pudore,
Fitque pudoris inops obſequioſa metu.

XXXVIII.

Peiores, iugi impatientiores.

Peſſimus quiſque aſperrimè rectorem patitur. Sall. ad Cæſarem.

REgna regit virtus; patitur vir peſſimus ægrè.
Rectorem, contra corde nitente bonus.

XXXIX.

Nil Athlas ſine Hercule.

Quorum conſilium ſequendum exiſtimabis, eos collauda ac honora, nam illorum inuentis gloriam tibi paries. Dio. Caſſ. lib. 52.

QVos adhibent Reges, clari virtutibus extent,
Rex decus illorum eſt, Regis ijque decus.

Conſi-

XL.

Conſilium dantes, & accipientes.

Sapè audiui eum primum eſſe virũ, qui ipſe conſulat quod in rē ſit, ſecundũ eũ qui bene monenti obediat. Liu. 22.

ESt primus, quod opus fuerit qui conſulit, æquis
Qui monitis paret, proximus adſtat ei.

XLI.

Nec dantes, nec accipientes.

Qui nec ipſe conſulere, nec alteri parere ſcit, eum extremi eſſe ingenij. Liu. ibid.

QVi dare conſilium ſimul ac parere monenti
Neſcit, ab ingenio perditur ille ſuo.

XLII.

Adiutores, Regibus pernecesſarijs.

Adiutores mihi duorum generum, Conſiliarij & Adminiſtri, illi qui lingua & mente in primis iuuant; hi, qui manu & factis. I. Lipſ. lib. 3. cap. 3.

QVi det conſilium Regi, fidusque miniſter
Sunt opus, ore prior quò iuuet, iſte manu.

XLIII.

Experientia, rerum Magiſtra.

Mihi fortuna multis rebus ereptis vſum dedit benè ſuadendi. Mithridates apud Sall. in frag.

COnſilijs aptus varia qui ſorte peritus:
Edocuere diu, quæ nocuere ſemel.

LXIV.

De eodem.

Perutiles conſiliarij, utraque fortuna exerciti.

CONſilium, proprio quod ſumptu diſcitur, æquū;
Nō mala, quæq; nocent, nō mala, quippe docēt.

XLV.

Quid in conſilijs capiendis dandiſque requiratur.

In conſilio capiendo prudentia, in dando requiritur fides & religio. Cic. Epiſt. 182.

COnſilijs aderit prudentia certa petendis,
Exigitur dandis cum pietate fides.

XLVI.

Iuuenes & ſenes.

Potentia eſt in iunioribus, prudentia autem in ſenioribus. Ariſt. Polit. lib. 7.

VIs infirma ſenum, iuuenum firmiſſima: regnum
Cur iuuenile ruit, ſtatque ſenile diu?

XLVII.

Conſilia ſenum, iuuentutis haſtæ.

Quibus corpus annis infirmum, ingenium ſapientia validum ſit. Sall. Catil.

INgenio valeat, quæ viribus ægra, ſenectus,
Sunt haſtæ iuuenum mens ratioque ſenum.

Adiu-

LXVIII.

Adiutores Regi, curarum in partem adſumendi.

Magna negotia magnis Adiutoribus egere. Vell. lib. II.

SInt oculi multi, multæ ſint Regis & aures,
Non eſt mens Regni totius vna capax.

XLIX.

Sapientiæ vis, ſupra vim.

Beatiſsimas fore Reſpublicas ſi aut philoſophi dominentur, aut ſaltem qui gubernant diuina quadam ſorte philoſophentur. Plato.

MVltorum dextras ſapiens mens vnica vincit,
Conſilium telis eſt potiuſue manu.

L.

Sapientis eſt, in melius mutare conſilium.

Sapiens non ſemper it vno gradu, ſed vna via. Seneca.

COnſilium in melius ſapiens commutat, eidem
Non vnus greſſus, ſit licèt vna via.

LI.

Vbi voluptas, ibi voluntas.

Peſsimum veri affectus venenum, ſua cuique vtilitas. Tac. I. Hiſt.

COnſultor malus Iratus, Mercator, Auarus,
Communi propriæ res nocuere bono.

LII.

Arcanum, anima conſilij.

Fieri quid debeat cum multis tracta, quid facturus ſis cũ paucis ſimis, vel potius ipſe tecum. Veget. lib 3.

ES quæ facturus cum paucis confer amicis
(Ni tecum) multis quæ facienda viris.

LIII.

Medij, Conſiliarij congrui.

Nec eminentes virtutes ſectabatur, & rurſum vitia oderat, ab optimis periculum ſibi, à peſſimis dedecus publicum metuebat. Tac. 1. Ann.

PEſſimus Adiutor, nec & optimus vtilis, affert.
Iſte metum Regi, dedecus ille gregi.

LIV.

Cauti in conſilijs, in facto audaces.

Celeriter deliberata peragenda ſunt, deliberandum autem tardè. Ariſt. 4. Ethic cap. 9.

AVdax aggreditur, quæ mens ſcit cauta vereri.
Quæ conſulta diu, ſunt peragenda citò.

LV.

Miniſtri labor, gloria Principis.

Non ad famam tuam geſtis exultes, ſed ad Authorem & Ducem vt miniſter fortunā referas. Tac. in Agric.

REx tibi Phœbus erit, tu Regi Cynthia totum
In Phœbum lumen grata refunde tuum.

LVI.

Vbi maior, cedit minor.

Luna inquam eſto, & gloriæ tuæ omne lumen refunde illi ſoli. I. Lipſ. lib. 3. cap. 11.

GRata ſuo quò plena patri ſit Delia luxis,
Adueniente cadit, Sole cadente venit.

LVII.

Res momenti, mox Principi deferendæ.

Quæ rerum ſpecies in Principum mentibus imprimuntur, altiuſque inhærentes nonniſi difficillimè eradicantur.

IMprimitur facilè ſpecies in Principe, ſerò
Vellitur. informat qui prior, ille ſapit.

LVIII.

Breuis ſit, quæ magna poteſtas.

Longiora ac diuturniora imperia multos attollunt, & ad res nouandas impellunt. Caſſ. Diod. 11.

QVæ grandis Regni fuerit, breuis eſto poteſtas.
Ad noua permultos vis diuturna mouet.

LIX.

Domeſticis non fidendum.

Regum exitus ſi reputauerimus plures à ſuis quàm ab hoſtibus interemptos reperiemus.
Curt. 9.

COmplures Reges manibus cecidere ſuorum;
Hinc metuant Reges non minus hoſte ſuos.

LX.

Periculum ſubit, qui periculum ſtruit.

Nec illas manus, quibus te commiſiſti ſecurus aſpicies. Sen. 1 de Clem.

QVanta ſtruis, tantis iactaberis ipſe periclis,
Cui te committis, nec tibi fidus erit.

LXI.

Milites, Principis munimentum.

Somnum eius nocturnis excubijs muniant, latera obiecti circumfuſique defendant. Sen. 1. de Clem.

EXcubet ante fores miles, dum dormit; & adſtet
Dum vigilat, cuſtos Principis atque decus.

LXII.

In præmijs & pœnis vita Regnis.

Præmijs & pœnis conſeruatur Reſpublica. Stobæus ex Theophraſto ſerm. 41.

VT fulcimentum ſint merces pœnaque Regni,
Detur prima bonis, vltima verò malis.

LXIII.

Nil, muneribus inuium.

Cum ſecum animus præmia reputat, ſimulque immenſa pecunia & potentia animo obuerſantur, cedet fas & ſalus. Tac. 15. Ann.

INdicibus veniam pretioſaque præmia dona;
Muneribus poteris cor penetrare virum.

Lingua

LXIV.

Lingua, mentis index.

Coneris ne te lateat quid quiſque ſubditorum faciat, aut dicat. Ariſt. 5. Politic.

QVod facit & dicit ſubiectus ſcire ſtudeto,
Mens eſt à verbis prodita ſæpè ſuis.

LXV.

Exploratoribus cautè credendum.

Quis innocens eſſe poterit ſi accuſaſſe ſufficiet? Ammian. Marcell. 18.

EXcipienda forent cunctorum dicta tametſi,
Cunctorum dictis non adhibenda fides.

LXVI.

Omne cauendum, nilque credendum.

Credulitas error eſt magis quàm culpa, & quidem in optimi cuiuſque mentem facillimè irrepit. Cic. Ep. lib. 10. cap. 23.

PLurima credulitas producit damna, cauendo
Omnia, credendo nullaque tutus eris.

LXVII.

Paucis habenda fides.

Vtrumque in vitium eſt, & omnibus credere & nulli. Sen. Epiſt. 111.

TAm vitium cunctis, quam nulli credere, paucis
Credendum, quorum ſit benè nota fides.

Omnia,

LXVIII.

Omnia, ſimulationis plena.

Multis ſimulationum inuolucris tegitur, & quaſi velis quibuſdam obtenditur. uniuſcuiuſque natura. Cic. ad Q. frat. ep. 1.

FRons, oculi, vultus nonnunquam, ſæpè loquela:
Fingit, perfidiæ cauſa fit ipſa fides.

LXIX.

Aſſentatoribus, aliud in ore, aliud in corde.

Quos ambitio falſos fieri ſubegit, magiſque vultum, quàm ingenium habent. Sall. Catil.

AMbitio falſos ſubigit quos eſſe, venenum
Pectore conſeruant, nectar ab ore vomunt.

LXX.

Tecta odia, apertis peiora.

Hoſtis malum ſub lingua, non in lingua. Greg. 15. Moral.

OMne ſub ore malum, nullū tenet hoſtis in ore,
Vindictæ rabies perdit aperta locum.

LXXI.

Non acerba, ſed blanda timenda verba.

Non deerat talia concupiſcenti pernicioſa adulatio perpetuum malum Regum, quorum opes ſæpius aſſentatio quam hoſtis euertit. Curt. lib. 8.

LIbertatis amans voces Rex oderit aulæ,
Plus aſſentator perfidus hoſte nocet.

Loqui-

LXXII.

Loquitur aſſentator ad voluntatem, non ad voluptatē.

Cui omnia Principum honeſta atque inhoneſta laudare mos eſt. Tac. l. II. Ann.

GAzarum loquitur ficte ſtudioſus in aures,
Nunc & honeſta ſimul nūc inhoneſta probat.

LXXIII.

Mente opus, vbi manus non ſufficit.

Vbi leonina pellis non pertingit, oportet vulpinam aſſuere. Plutar. Lyſand.

NOn vbi pertinget pellis villoſa Leonis,
Pellis ibi vafræ ſplendida Vulpis erit.

LXXIV.

E malis minimum eligendum:

Neceſſarium eſſe in paruis à iuſtitia abire, qui ſaluam eam velint in magnis. Plutar. in Polit.

IN paruis abeant à iuſtis ſæpè neceſſe,
In magnis ea ſint qui ſibi ſalua velint.

LXXV.

Non reget, qui non teget.

Vt ad effectum conſiliorum ſuorum veniant, multa ſimulent oportet inuiti, & diſsimulent cum dolore.

AFraui ſimulans primas feret, hincque theatro
Aptus huic non eſt, quem ſimulare fugit.

Neſcit

LXXVI.

Neſcit regnare, qui neſcit diſſimulare.

Nullam, vt rebatur, ex virtutibus ſuis magis quàm diſſimulationem diligebat. Tac. 4. Ann. de Tiberio.

Fingere qui neſcit, neſcit regnare: ſerenat
Frontes, quæ mentes ars operoſa tegit.

LXXVII.

Inſtabilis, Regum voluntas.

Regum voluntates vt vehementes ſic mobiles, ſæpè ſibi ipſæ aduerſæ. Sall. Iug.

Mobilis vt vehemens Regū ſolet eſſe voluntas,
Inſuper obſiſtit ſæpius ipſa ſibi.

LXXVIII.

Noxia, nimia ingenij mobilitas.

Subitis offenſionibus vel intempeſtiuis blanditijs mutabile contemnunt metuuntque. Tac. 1. Hiſt.

Principis ingenium leuius vel lenius æquo
Non pietate minus quàm leuitate nocet.

LXXIX.

Maieſtati maior ex longinquo reuerentia.

Perpetua conuerſatio contemptum parit, raritas autem admirationem conciliat. Apul. De Deo Socrat.

Ignotum magni facimus, præſentia magnos
Plurima deſpectos nè ſatiate facit.

Modus

LXXX.

Modus, anima Maieſtatis.

Viſu & auditu iuxta venerabilis, cum magnitudinem & grauitatem ſummæ fortunæ retineret, inuidiam & arrogantiam effugerat. Tac. 11. Ann.

CIuiles nimium, viles plerumque; probentur
Vt res, in rebus debet ineſſe modus.

LXXXI.

Futiles, inutiles.

Canem timidum latrare vehementius quàm mordere. Curt. lib. 7.

NOn audax ſit ſermo grauis, latratibus auras
Qui canis incendit, dente ferire timet.

LXXXII.

Ex virtute honos, ex vitijs contemptus.

Augetur quicquid in honore eſt, deficit & minuit quicquid in contemptu. Iamblichus.

CVm iugis cenſura Ducum ſit viuere, virtus
(Illos ni vitium perdit) ad aſtra vehit.

LXXXIII.

Pietate & iuſtitia Principes, Dij fiunt. Sen.

Homines dicuntur fieri Dij propter virtutum excellentiam. Ariſt. lib. 7. Ethic.

DIſcite iuſtitiam, pietatem diſcite; Reges
Iuſtitia fiunt & pietate Dei.

Lex

LXXXIV.

Lex, omnium Rex.

Pindarus legem ait omnium eſſe Reginam mortalium, atque immortalium, eamque ius agere violenter & prepotenti manu. Plato Cratilus.

QVi regnare cupis, legem ſeruare memento,
Lex ſine Rege nihil, Rex ſine lege nihil.

LXXXV.

Libeat, quod liceat.

Cum omnia poſſumus, ſola credimus licere nobis laudanda. Theodahad. apud Caſſiod. Var. l. 10.

CVi licet omne, decet non omne libere, decora
Et velit, & credat ſola licere ſibi.

LXXXVI.

Regis proprium, iuſtitiæ opus.

Reges, vt inquit Homerus, non expugnatrices Vrbium machinas, arataſque naues, ſed iuſtitiam à Ioue ſumptam exercere cuſtodireque decet. Plutar. Demetrius.

SCriptam ferre iuuat nil legem, corde ferenda
Eſt, necnon factis vſque probanda pijs.

LXXXVII.

Corruptiſſima Reſpublica, plurimæ leges. Tac.

Cauendum ne legibus fundata Ciuitas, legibus euertatur. Plin. Paneg.

LEgibus vtendum parcè, tam legibus vrbes
Multis in præceps, quam ſine lege ruunt.

Ex

LXXXVIII.

Ex fori tabe pecunia Aduocatis.

Vt quemadmodum vis morborum pretia medentibus, ſic fori tabes pecuniam Aduocatis ferat. Tac. Ann. 11.

MOrborum Medicis veluti vis præmia, tabes
Cauſidicis nummos dat diuturna fori.

LXXXIX.

Non eſt, qui opituletur egenis.

Inauditi atque indefenſi tanquam innocentes pereunt. Tac. 1. Hiſt.

CAuſidicus mutus, fit iudex ſurdus egeno,
Ducit ad auratum quos vaga rheda forum.

XC.

Optima lex, modus in legibus.

Publica mercis nihil tam venale quàm Aduocatorum perfidia. Tac. 11.

DIues amat multas leges, pauperculus odit:
Optima lex eſt in legibus eſſe modum.

XCI.

Imperij extrema, vitioſa.

Malum quidem eſt Principem habere, ſub quo nihil vlli liceat, peius verò eum ſub quo omnibus omnia. Dio. in Nerua.

SVb quo nil vlli liceat, moderamen iniquum,
Sub quo, peius adeſt, omnibus omne licet.

XCII.

Seueritate opus, vbi clementia non ſufficit.

Cotys increpanti ſeueritatem eius, aientique furor hic eſt, non regnum, at meus, inquit, hic furor ſubiectos ſanos reddit. Stob. de Regno apud I. Lipſ. lib. 5. cap. 9.

Aienti furor hic, nõ regnũ eſt, Rex Cotys inquit,
Subiectos ſanat ſed meus iſte furor.

XCIII.

Nero iuſſit ſcelera, non ſpectauit. Tac.

Viro Principi, vbi pœnarum aut coertionis res eſt, alijs id delegandum, vbi præmiorum aut munerum, ipſi obeundum. Xenoph. in Hieron.

Perficiant alij pœnarum munera; Princeps
Mercedis tantum munus obire velit.

XCIV.

Princeps & Medicus.

Principi non minus turpia multa ſupplicia quàm Medico funera. Sen. 1. de Clem.

Tvrpia quam Medicis ſint funera crebra, futura
Pœna frequens Ducibus nõ inhoneſta minùs.

CXV.

Seuerus ſis, non ſæuus.

Adhibenda eſt Reip. cauſa ſeueritas, ſine qua adminiſtrari ciuitas nulla poteſt. Cic. 11. de offic.

Extremis morbis extrema remedia fiant,
Cancroſis plagis culter & ignis opus.

Bonis

XCVI.

Bonis nocet, qui malis parcit.

Ne ſanguinem noſtrum largiaris, & dum paucis ſceleratis parcis omnes perditum eas. Sall. Catil.

IN Regem grauiter plectendus criminis author,
Cautio nam Regis, cautio Plebis erit.

XCVII.

Odium, beneficijs molliendum.

Frequens vindicta paucorum odium reprimit, omnium irritat. Sen. 1. De Clem.

SI ſunt tollendi Magnates, vnicus ictus
Tollat eos, alijs poſtea dona dabis.

XCVIII.

Tardè ad ſupplicia deueniendum.

Propè eſt vt libenter damnet, qui citò. Sen. 1 de Clem.

INuitus damnat, qui tardè; qui citò, ſponte:
Ille hominum vita gaudet, at iſte nece.

XCIX.

Hoſtis venia, Principi decora.

Deprahenſus eſt? iam nocere tibi non poteſt, prodeſſe famæ tuæ poteſt. Liuia Auguſto ſuo apud Sen. 1. de Clem.

SI tutò poteris, pœna donabitur hoſtis;
Ex hoſtis venia ſplendida fama volat.

Placet

IO. FRANCISCI RAYMVNDI

VMBRARVM GENIALIVM POLITICARVM

Siue

VETERVM SAPIENTVM DE PRVDENTIA MILITARI SENTENTIARVM

CENTVRIA TERTIA.

Ad Lectorem.

Quamuis nec Dux,nec miles,libens tamen volenſq; ex togata ad militarem prudentiam gradum facio,ſagumq; induo ſtrenuè tibi cum Ariſtophane Iuſtoque Lipſio, conſilio, calamo & lingua pugnaturus.

NOn dux,non miles de bellis diſſero, lingua,
Conſilio,calamo, menteque bella gero.

I.

Armis & legibus ſtat omne Imperium.

Imperatoriam Maieſtatem non ſolum armis decoratam, ſed etiam legibus oportet eſſe armatam. D.Iuſt. Imp.Inſt Iur.Ciu. in proemio.

REgia Maieſtas ſeruatur legibus,armis,
Nil lex abſque ſago,nil ſine lege ſagum.

Vtriuſ-

II.

Vtriuſque Palladis ſtudium, vita Vrbium.

Patritÿ equeſtriſq. ordinis homines dum adhuc pueritiam agunt ludos literarios frequẽtent, adoleſcẽtes autẽ facti equos & arma tractare diſcãt. Mæcenas Cæſ. apud Dio.

NObilis in doctis ſtudijs verſetur & armis,
Conſeruant vrbes hæc duo iuncta ſimul.

III.

Ahæna mœnia, incolæ bene morati.

Nequaquam ea vrbs minus circundata muro fuerit, ſi quis eam viris fortibus, non lateribus cinxerit. Lycurg. apud Plut. l. 3.

VNanimes ciues vrbes tutantur, ahænus
Fortia bellantum pectora murus erunt.

IV.

Iura belli, ſeruanda.

Sunt & belli, ſicut pacis, iura: iuſtèque ea non minùs quàm fortiter debes gerere. Liu 5.

NOn tibi ſit quæuis occaſio iuſta triumphi,
Iniuſtè ſiquidem bellua bella mouet.

V.

Vim, vi repellere licet.

Duo ſunt genera decertandi, vnum per diſceptationem, alterum per vim, illud proprium hominis, alterum belluarum: confugiendum eſt ad poſterius, ſi vti non licet ſuperiore. Cic 1. de Offic.

DEcertant ſermone viri, vi bellua, primo
Vti ni poteris, poſteriore licet.

Iuſto

VI.

Iuſto in bello honeſti, doli.

Cum iuſtum bellum ſuſcipitur, vt apertè pugnet quis, aut ex inſidijs nihil ad iuſtitiam intereſt. S. Auguſt. quæſt. 10. ſuper Ioſue.

IVſto ſuſcepto bello caput hoſtis apertis
Armis ni poteris frangere, frange dolis.

VII.

Voluntas, neceſsitati accommodanda.

Ferre quæ diuinitùs immittuntur neceſſariò oportet, quæ ab hoſtibus viriliter. Thucid. lib. 2 in Orat. Peric.

QVæ Deus immittit debemus ferre neceſſe,
Intrepidè verò quicquid ab hoſte venit.

VIII.

Aut vincendum, aut moriendum.

Facere & pati fortia, Romanum eſt.

NI mors, militibus Romanis palma ferenda,
Qui facit & patitur fortia, ciuis erit.

IX.

Rerum geſtarum gloria, immortalis.

PRo Fidei Patriæque mori tutamine vita
Eſt, rebus geſtis fama ſuperſtes ouat.

X.

Quæ defendere liceat.

Fortitudo quæ per bella tuetur à Barbaris patriam, vel defendit infirmos, vel à latronibus ſocios plena iuſtitia eſt. S. Ambroſ. de offi.

HAec armis omni ſtudioque tegenda, parentes,
Libertas, ſocij, patria, fama, fides.

XI.

Pia arma, quæ reprimunt impietatem.

Cui licentia iniquitatis eripitur, vtiliter vincitur. S. Auguſt. Epiſt. 5.

SIt pariter Regni, qui veri luminis expers:
Inuiſus cælo non benè regnat humi.

XII.

Bellum, minimè bellum.

Suaue bellum non expertis, at qui geſtauit, valde contremiſcit animo quoties aduentans illud videt. Pindarus apud Stobæum.

ESt cui pax & eam non æſtimat, indicat vnquā
Se non expertum quot mala bella ferant.

XIII.

In bello de ſumma rerum iacitur alea.

Parta ac ſperata decora vnius horæ fortuna euertere poteſt. Liu. 30.

IN Martis campum temerè deſcendere noli,
Hic partum ſeclis obruit hora decus.

Bellum

XIV.

Bellum prius parandum quam exercendum.

Ex præparatæ copiæ bella magis ſuſtinent, quam violentæ collectiones. Pericles apud Thucyd. lib. 1.

Vilis eſt violenta parùm collatio; debes,
Et citius vinces, bella parare priùs.

XV.

Belli apparatus, pacis origo.

Qui deſiderat pacem, præparet bellum.
Lamprid. 11.

Belli ſunt annona, pecunia & arma paratus
Hæc pacem firmant & fera bella fugant.

XVI.

Summæ amplitudini, ſummis viribus opus.

Parùm tutam Maieſtatem ſine viribus eſſe.
Liv. 11.

Maieſtas eſt tuta parùm ſine viribus, eius
Vires conſilium, fœdera, fors & opes.

XVII.

Conſilia, belli ſpiritus vitales.

Quid ſine ijs apparatus omnes ſint? fumus, quid viri? funus. I. Lipſ. lib. 5. cap. 16.

Quid ſine conſilijs homines bellique paratus?
Nil hi quam fumus, nil niſi funus homo

XVIII.
Agere inconſultè, ſtultitiæ ſignum.

Sicut Dux eſt ſaluator exercitus, ſic ratiocinatio in eruditione eſt Dux vitæ. Ariſt. Epiſt. ad Alex.

QVod nos defendit, ferrum ſi dignius auro,
Conſilium prudens exuperabit opes.

XIX.
Amici, Regni præſidium.

Non aureum ſceptrum iſtud eſt, quod regnum cuſtodit, ſed copia amicorum. Cyro apud Xenophont. lib. 8.

NEc munimentū Regni ſunt ſceptra nec aurū,
Seruat amicorum copia Regna, domus.

XX.
Imperium aut in ſummo aut in imo.

Imperium cupientibus, aut habentibus nihil mediū inter præcipitia, aut ſumma. Tac. apud I. Lipſ. l. 4. c. 6.

VEl tenet Imperiū in ſummo fortuna, vel imo,
Cur non in medio? neſcit habere modum.

XXI.
Fortunæ habenda ratio.

Fortuna quidem tua, ò Antoni, ipſa per ſe ſplendidiſsima eſt, & ampliſsima, verum cum Cæſari adhæret, cõtinuò obſcuratur & decidit, huius enim genium formidat dæmon tuus, qui erectus & excelſus, vbi ſolus eſt ille appropinquante demiſsior redditur & ignauior. Aſtrologus Aegyptius M. Antonio apud Plutar.

QVæ Cæſar fortuna tuis nunc partibus hæret
In minimis etiam, poſtea ſumma dabit.

De

XXII.
De eodem.

Fortunam tuam preſsis manibus tene, lubrica eſt, nec inuita teneri poteſt. Scytharum legàtus Alexandro apud Curt. lib. 7. Ad eundem legatum.

CVr preſſis manibus fortuna tenenda, teneri
Lubrica cum nequeat nonniſi ſponte ſua?

XXIII.
Legati Reſponſio & medela.

Impone felicitati tuæ frenos, faciliusillam reges. Idem legatus ibid.

TEmpore felici Nemeſis ſi lora capeſſes,
Rebus in aduerſis fortiter illa geres.

XXIV.
Omnia, venalia nummis. Ariſt.

Opus ſunt opes, & ſine ijs nihil fiet, quod opus. Idem.

OMnia ſunt nummis venalia, præſtoq; ferrum
His, ſocij, victus copia, miles erunt.

XXV.
Opum potentia.

Roma vnà cum Imperio quaſi in foro, aut in mercatu propoſita eſt. Dio. Iulianus.

VRbs ea, cui totus terrarum paruit orbis,
Auro venalis, ſic Dio, facta fuit.

XXIV.

Annonæ neceſſitas.

Qui frumentum neceſſariumque commeatum non præparat, vincitur ſine ferro. Veget.3.cap.26.

NVmmis & validis annona potentior armis,
Vincere qua ſine, tum viuere nemo poteſt.

XXVII.

Mendicitas, ad opes vocat armatos.

Vna & vetus cauſa bellandi eſt, profunda cupido Imperij, & diuitiarum. Sall.in fragm.

NVlla timet, qui nulla poteſt amittere miles,
Ad palmas ſtimulus maximus, ardor opum.

XXVIII.

Miles diues, imbellis.

Miles non timet, niſi veſtitus, armatus, calceatus & ſaturs & habens aliquid in Zonula. Lampr.in Alex.

QVi grauidus gazis miles gemmaſcit in armis
Hoſte priùs ſibimet præda timoris erit.

XXIX.

Plus penès pedites roboris eſſe. Tac.

Ex quo intelligitur magis neceſſarios Reip. pedites, qui poſſunt vbique prodeſſe. Veget.11.cap.11.

ARmatis equitum pedites obſiſtite nimbis,
Vos penès eſt robur, ſi bonus ordo viget.

Pauci,

XXXX.

Pauci, qui vincunt.

Etiam in multis legionibus, pauci ſunt, qui prælia profligant. Tac. 14. Ann.

NOn vis in multo, ſed lecto milite, bello
Multis nominibus non, opus eſt manibus.

XXXI.

Xerſes & Leonides Spartanus.

In omni conflictu non tam prodeſt multitudo quam virtus. Veget. 1. cap. 8.

SPartanus pauco vicit cum milite Xerſis
Innumeros, numero vicit hic, ille manu.

XXXII.

Milites legendi, non emendi.

Quorum lingua vana, manus rapaciſſimæ, gula immenſa, pedes fugaces, &c. Pſeudo Sall. in Cic.

NE moueant lepores clypeati bella, legendus
Et non fex plebis miles emendus erit.

XXXIII.

Domeſtici milites, exteris potiores.

Domeſtico militi obſequium & patientia Imperij longè præſtantior quàm exteris. Curt. 10.

A Scitis melior genitus tibi miles, amorem
Imperij patiens obſequiumque colit.

XXXIV.

Locorum aſperitas ingenia durat.

Fortior miles è confrageſo venit: ſegnior eſt vrbanus & verna. Sen.Ep.

FOrtior vrbicolis miles montanus;in aſpris
Alpibus & ſyluis naſcitur aſper homo.

LXXV.

Ruſticus, aptior armis.

Nobis autem quæuis herba & radix cibus eſt;quilibet ſuccus,oleum: omnis aqua, vinum: omnis arbor,domus. Bunduica virgo Britanna apud Dio.

RVſticus vtilior bello, cui non locus aſper,
Non labor inſolitus, non timor hoſtis erit.

XXXVI.

A militari diſciplina, Imperij incrementum.

Diſciplinam militarem Populi Rom. debes inquirere, qui ex paruiſsimis finibus imperium ſuum penè ſolis regionibus & mundi ipſius fine diſtendit. Veget. 2. c. 8.

QVid diſciplina Romanis clarius vnquam?
Hac duce Iura ſolo,iura dedere ſalo.

XXXVII.

Qui Tyrones, deligendi.

Tyrones non tantum corporibus, ſed etiam animis præſtantiſsimi deligantur. Veget. 1. cap. 7.

TYrones animo præſtent & corpore, nempe
Hi ſunt,in quibus eſt publica tota ſalus.

Reges

XXXVIII.

Reges fidem habent, & inueniunt.

Se ſuaque iactabunt quocumque deſiderauerit imperantis ſalus. Sen. De Clem.

DAt Rex arma ſuis, negat illa Tyrannus eiſdem;
Inuenit hic nuſquam, Rex at vbique fidem.

XXXIX.

A Verecundia virtutum Regina, victoria.

Honeſtas idoneum militem reddit, verecundia dum prohibet fugere, facit eſſe victorem. Veget. 1. cap. 7.

MAxima virtutū verecundia, monſtret honeſto
Quàm fuga dedeceat, victor & ille redit.

XL.

Rex, Dux, Miles.

Militaris ſine Duce turba, corpus ſine ſpiritu. Curt. 10.

REx caput eſt, corpus pugnantes, ſpiritus autem
Dux; verè reſident in Duce vita, ſalus.

XLI.

Tanti eſt exercitus, quanti Imperator.

Vt remiges ſine Gubernatore, ita milites ſine Imperatore nihil valent. Quint. 5.

MIlitis arma, Ducis prudentia, iuſſaque Regum
Sunt; Dux iuſſa capit, miles & illa facit.

XLII.

Indulgentia in milites, perniciosa.

Conditio Principũ miſerrima, quibus coniuratione cõperta non creditur, niſi occiſis. Sueton. Domit. c. 21.

MIlitis haud veniam delicta merentur, in illum
Qui pius eſt Princeps, impius ille ſibi.

XLIII.

Vnde orta culpa, ibi pœna conſiſtat. Liu.

Principes ſeditionis in conſpectũ multitudinis producũtur, ibi virgis caſi more Maiorũ, ſecuriq; percuſſi horribile ſpectaculum viſentibus prabuere. Plut. Scipio.

NVm commune nefas cunctorũ morte piandũ?
Debent authores grande piare nefas:

XLIV.

Proditor, nec gratus, quibus gratificatur.

Ego proditionem amo, proditores non approbo. Auguſt. apud Plut. Apopht.

IMpius in Patriam pœnam quamcumq; meretur:
Tàm miſer, vt gratus nec cui grata facit.

XLV.

Amatur proditio, non proditor.

Proditores etiam ijs, quos anteponunt, inuiſi ſunt. Tac. 1. *Ann.*

SE primum prodit cupiens prodendo placere,
Proditio, nunquam proditor ipſe, placet.

XLVI.

Vni bello, Dux vnus præficiendus.

Plurimum nocet & multitudo imperantium, & regimen nullum aut incertum. Thuc. 6.

VNus Dux bello prudens belliquе peritus
Præſit vbi plures, non ibi palma, Duces.

XLVII.

Minora bella, minoribus Ducibus deleganda.

Non enim decorũ Principi, ſi vna alteraue ciuitas turbet, omitti vrbem, vnde in omnia regimen. Tac. 3. Ann.

REx aderit quoties ſummis de rebus agetur;
Inferioris erunt bella minora Ducis.

XLVIII.

Proſpice & reſpice.

Qui nil de præterito cogitat, perdit vitā: qui nil de futuro præmeditatur, in omnia incautus incidit. Author. de 4. Virt.

PRoſpice geſta virũ, peragẽdaq; reſpice monſtret,
Spectator ſub idem tempus & actor eris.

XLIX.

Vnuſquiſque fortunæ ſuæ ſibi artifex eſt.

Neq; enim loca ipſa felicitatem, beatitatemue vllam afferunt homini, ſed vnuſquiſque noſtrum ipſe ſibi & patriam & vitam beatam omni tempore vbicumque locorum efficit. Dio. lib. 38.

FOrtunæ quicumque ſuæ faber, inde beatus
Dux in quo multum mens ratioque valent.

L.

Occaſio in bello, virtute potior.

Valet verò in omnibus humanis rebus & pollet occaſio, ſed maximè in bellicis. Polyb 9

REbus in humanis occaſio pollet, in armis
Hæc pluſquam virtus capta iuuare ſolet.

LI.

Ibi ſæpè timor, vbi non eſt timor.

Sæpè & contemptus hoſtis cruentum certamen edidit, & inclyti populi Regeſque perleui momento victi ſunt. Liu.21.

HOſtis contemptus certamina ſæpè cruenta
Edidit: heu tutò ſpernis in hoſte nihil.

LII.

Hoſtis diſcordia, maius fortunæ donum.

Nulla quamuis minima Natio poteſt ab aduerſarijs perdeleri, niſi proprijs ſimultatibus ſe ipſa conſumpſerit. Veget 3.c.9.

FOrtunæ donum diſcordia maius, in hoſtis
Campo diffidij ſemina noſte ſere.

LIII.

Infida fiducia extollitur, qui fortuna.

Fortuna vitrea eſt, tunc cũ ſplendet, frangitur. Publius.

NOn eſt fortunæ fidendum, vitrea nempe
Eſt, & dum rutilat frangier illa ſolet.

Loci

LIV.
Loci ratio, habenda.

Vtrum inimici an tibi videatur accommodus.
Veget. 3. cap. 9.

DVx ex inſidijs attentet, conſcius aptum
Plus virtute ſibi poſſe fauere locum.

LV.
Nouis in cæptis validiſſima fama.

Fama bellum conficit, & parua momenta in ſpem metumq́ impellunt animos. Liu. 27.

IN cœptis eſt fama nouis validiſſima fama,
Ni ſpem ſucceſſu, parturit illa metum.

LVI.
Hoſti ad fugam munienda via.

Clauſis ex deſperatione creſcit audacia, & cum ſpei nihil eſt, ſumit arma formido. Veget. 3. cap. 25.

TErga fugæ danti fiat pons aureus hoſti:
Spe rerum fracta ſuſcipit arma metus.

LVII.
Contemptor ſuæ, eſt Dominus vitæ tuæ.

Quam maximè mortiferi morſus eſſe ſolent morientium beſtiarum. Flor. 2. cap. 15

LEthales morſus belluæ morientis habentur;
Spes ibi palmarum, ſpes vbi nulla fugæ.

Requie

LVIII.

Requie indiget, quod laborat.

Requies neceſſario eſt delectabilis, quia eſt medicina triſtitiæ, quæ conſiſtit in labore. Ariſt. lib. 8. Polit.

NI cupis infirmum bello ſpectare ſepultum
Corpus, ei pacis tuta paranda quies.

LIX.

Vbi pax, ibi Deus.

Non Deus es diſſenſionis, ſed pacis. Paul. 1 ad Cor. cap. 14.

PVgnarum ſatis eſt, aliquid de pace canamus;
Eſt vbi pax, author pacis ibique Deus.

LX.

Pax & vera gloria, Deus.

Quaſi ad exemplum compoſitus diuinum, à corpore ad ſpiritum, quantum potes, te feſtina reducere. Sen. de 4. Virt.

CVm cæli, tum pacis amor mortalia tangant
Pectora, pax eſt & gloria vera, Deus.

LXI.

Victoria, Deorum munus.

Vti animoſè debes tanto munere Deorum, dandi auferendique vitam potens. Sen. 1. De Clem.

NOn hominum, munus victoria verò Deorum,
Sunt in victoris vita rogusque manu.

Incer-

LII.

Incertus, belli exitus.

Melior tutiorque eſt certa pax quam ſperata victoria, illa in tua, hæc in Deorum manu eſt. Liu. 30.

SPeratis longè melior pax certa trophæis,
Illam noſtra tenet, ſed manus iſta Dei.

LXIII.

Mors, viro potior quam ſeruitus.

Cum dignitate potius cadendum, quàm cum ignominia ſeruiendum. Cic. Phil. 3.

PAx ſit honeſta tibi rerum cariſſima, mauis
Quàm confirmetur pax inhoneſta, mori.

LXIV.

Pacis nomine, inuoluitur ſæpè bellum.

Iſta nubes, quæ ſedit in montibus ſolicitata procella imbrem dabit. Liu. 22.

PAx ſit pura ſedens nubes in montibus imbrem
Turbine nimboſum ſolicitante dabit.

LXV.

Sub nomine pacis, bellum latet.

Ob interna mala dilata magis prælia quàm datam pacem intelliges. Sall. ep. Mithrid.

TVtius eſt bellum ſuſpecta pace: cauendum eſt;
Bellum ſub pacis nomine ſæpè latet.

Anceps,

LVI.

Pax vel iniuſta, iuſtiſſimo bello vtilior.

Aliqua tolerabili conditione finies bellum.
Liu. 25.

PAcis alumna domus, cælo gratiſſima; iuſto
Vtilior bello pax erit abſque dolo.

LVII.

Victoris in manu pax & bellum.

Cum victoriam propè in manibus habeas, pacem non abnue; vt ſciant omnes te & ſuſcipere iuſtè bella & finire. Liu. 30.

VIctor amet pacē, quid enim ſpecioſius vſquā,
Pandere quam Iani & claudere iure fores.

LVIII.

Pax ex æquo vtilis vtrique parti.

Pax & concordia victis vtilia, victoribus pulchra.
Tac. 3. *Hiſt.*

VTilis eſt fractis rebus concordia; victis
Expediens, danti pax ſpecioſa nitet.

LXIX.

Pax & gloria.

Pacem contemnentes & gloriam appetentes pacem perdunt & gloriam. S. Bernar. in Ep.

COntemnit pacem nimio qui laudis amore,
Hanc non aſſequitur, pax ab eoque fugit.

Huma-

LXX.

Humanis in rebus, nil fixum atque perpetuum. Dio.

Ea eſt humanarum felicitatum conditio, vt momentanea ſint, inq; diem durent, ac quanto quis maiora incremẽta accipit, tanto facilior aura inſtar concidit. Dio. l. 39.

OMnia læta tibi fingis, tibi blandus es hoſtis;
Vltima non raró palma pericla tulit.

LXXI.

Sæpe victor, victus.

Habet has vices conditio mortalium, vt aduerſa ex ſecundis, ſecunda ex aduerſis naſcantur. Plin. Paneg.

FLatibus haud tumeant victoris vela ſecundis;
Mœrebit victus, qui modo victor ouat.

LXXII.

Obnoxia mortalium cuncta periclis:

Vim fortunæ reputa, & omnia quæ agimus ſubiecta eſſe mille caſibus. Liu. 33.

QVi vim fortunæ reputat ſubiecta periclis
Omnia quæ gerimus millibus eſſe videt.

LXXIII.

Fortuna, non irritanda.

Eam ipſam fortunam, qua aſpirante res tam proſperè geſſiſti, verearis. Curt. 3.

FOrtunam verearis eam, qua tolleris; ingens
Altius elatos ſæpe ruina premit.

Anceps.

LXXIV.

Anceps, fortunæ exitus.

Nec præſenti decet credere fortunæ, cum quid veſper ferat incertus ſis. Liu.45.

CEu bona, ceù mala ſit, fortunæ credere noli,
Cum ſis incertus qui tibi veſper erit.

LXXV.

Ignoſcendo Pop.Rom. magnitudo aucta. Sall. Orat.

Bellorum egregij fines quoties ignoſcendo tranſigitur. Tac.12. Ann.

ROmulidum faſces venia creuere; ſat illis
Regibus è victis gloria ſola fuit.

LXXVI.

Bona pax, conſtantiſſima.

Priuernas in Sen Rom. interrogatus, qualem ab ijs pacem expectarent? Si bonam dederitis, inquit, & fidam & perpetuam: ſi malam, haud diuturnam. Liu. 8. apud I. Lipſ.l.5.c.20.

SI mala pax dabitur, non eſt diuturna futura;
Sin bona, non ſolùm fida, perennis erit.

LXXVII.

Quando pax optimè coeat.

Vnum tempus eſt de pace agendi, dum ſibi vterque confidit, & pares ambo videntur. Caſſiodor. Cic. *Videntur pares, qui non fecerunt inter ſe periculum virium.* Curt.7.

ESt vnum tempus iungendi fœdere pacem,
Dum ſibi confidunt viribus ambo pares.

Pax

LXXVIII.

Pax, ab armis & in armis.

Arma ſemper in manibus habenda ſunt, hac enim ſolum ratione pax conſeruatur. Dio. lib. 38.

IN bello moritur de bello nata ſuauis
Pax, orſum belli, pax quoque finis erit.

LXXIX.

Arma tenenda, ſi pacem volumus.

Si pace frui volumus bellum gerendum, ſi bellum omittemus pace nunquam fruemur. Cic. Phil. 7.

OPtamus ſi pace frui ſunt bella gerenda,
His ſine, non vnquam pace fruamur, erit.

LXXX.

Extera bella domeſticæ pacis firmamentum.

Themiſtocles Ariſtidis animum tentare volens illuſtres, inquit, res geſſimus conſiteor, ſed vt videre videor reſtat vt illuſtriores conficiamus, vt ſcilicet Aſiam in Europa capiamus. Plutar. Ariſt.

SVb Martis clypeo quæ pax exordia ſumit,
Martis amica, diù ni clypeata, perit.

LXXXI.

Quādo ſit futura pax vniuerſo.

Alias oves habeo, quæ non ſunt ex hoc ouili: & illas oportet me adducere, & vocem meam audient, & fiet vnū ouile & vnus paſtor. S. Ioann.

PAx erit in cunctis terris, duntaxat ouile
Vnum dum fuerit, paſtor & vnus erit.

Ex

LXXXII.

Ex rerum affluentia, ciuile bellum.

Quæ enim alia res ciuiles furores peperit quam nimia felicitas? opes atque diuitiæ afflixere ſeculi mores. Flor. 3. c. 12.

CIuiles nimij luxus peperere furores;
Affligunt mores vrbis & orbis opes.

LXXXIII.

Statuum peſtis, factiones.

Factiones fuere & erunt pluribus populis magis exitio quã bella externa, quam fames morbiue. Liu. 3.

EFfera nulla magis populis quam factio peſtis,
Hac lex deſpicitur publica, ciuis honos.

LXXXIV.

Ciuilis belli calamitas.

In omne fas nefaſque auidi aut venales, non ſacro, non profano abſtinentes. Tac. 2. Hiſt.

HAud gradus, haud ue iuuat bellis ciuilibus ætas
Popliuoris Ducibus, quod libet, omne licet.

LXXXV.

De eodem.

Non ætas, non dignitas quemq; protegit quominus ſtupris cædes, & ſtupra cædibus immiſceantur. Tac. 3. Hiſt.

MIſcentur ſtupris cædes, ſtupra cædibus, vrbes
Crebris vaſtantur cædibus atque fuga.

Popu-

LXXXVI.

Popularis factionis exitus.

Pars quæ domeſtico certamine inferior eſt, externo potius ſe applicat quàm ciui cedat. Liu. 34.

QVæ pars inferior fuerit ſocialibus armis
Extera ne ciui pareat arma petet.

LXXXVII.

Quis, inter Magnates diſcordiarum finis?

Neque alius ſolet eſſe diſcordiarum exitus inter claros & potentes viros, niſi aut vniuerſus interitus, aut victoris dominatus & regnum. Cic. de Aru. p. reſp.

NI populi clades, regnum victoris iniquum
Ciuilis belli e ſem ne meſſis erit.

LXXXVIII.

Deploranda, ciuilis belli victoria.

Omnia ſunt in bellis ciuilibus miſera, ſed nihil miſerius quàm ipſa victoria. Cic 4. Ep ad famil.

CIuili ſint cuncta licèt duriſſima bello,
Nil eius palma durius eſſe poteſt.

LXXXIX.

Seditionum principijs obſtandum.

Omne malum naſcens facilè opprimitur, inueteratum fit plerumque robuſtius. Cic. Philip. 5.

SEditio naſcens ictu velut hydra ſeccetur,
In cunis facilè frangitur omne malum.

Pro-

XC.

Procerum diſcordiæ, mox excindendæ.

Nobilium contentiones & partes etiam legibus oportet prohibere conari. Ariſt. 5. Polit. cap. 8.

DE medio Procerum ſurgentia iurgia tolle
Protinus; e minimis maxima flamma venit.

XCI.

Auget ſtudium præſentia Regis.

Diuus Auguſtus vultu & aſpectu Acticas legiones exterruit. Tac. 1. Ann.

TErruit Actiacas legiones pectore, vultu
Auguſtus; facies torua Meduſa fuit.

XCII.

Neutrales, victoris præda.

Aſinius Pollio rogante Cæſare, vt ad bellum proficiſceretur Actiacum; ego, inquit, diſcrimine veſtro me ſubtraham, & ero præda victoris. Vell. 2.

NEutrius partis, victoris præda, ſequaces;
Qui bonus eſt, poterit iure fauere bonis.

XCIII.

Patriæ libertas, armis vindicanda.

Quemcumque ſors tulerit caſum, ſubibit potius eum iis, qui dicentur eſſe boni, quam videatur à bonis diſſentire. Cic. ad Att. 8. Ep. 1.

ET pater & tutor patriæ ciuilibus armis
Se Cato, ſe comitem præbuit atque Ducem.

Con-

XCIV.

Contentiunculæ inter ſeruos, non inutiles.

Semper contentiunculas aliquas, aut diſſenſum inter ſeruos callidè ferebat ſuſpectam habens nimiam concordiam eorum metuenſque. Plut. Cato.

IN ſeruis placuit contentio parua Catoni,
Circulus vmbrarum fit quoque cauſa metus.

XCV.

Diuide, & impera.

Societas noſtra lapidum fornicationi ſimillima eſt, quæ caſura niſi inuicem obſtarent, hoc ipſo continetur. Sen. Ep. 10. c. 7.

DE minimis inter populos contentio prodeſt:
Imperium felix, diuide, quiſquis aues.

XCVI.

De eodem.

Virtus vnita fortior, diuiſa minuitur.

ALbanos fratres poſtquam diuiſit, Horati
Sanguine fraterno palma rigata fuit.

XCVII.

Tyrannorum vita, breuis.

Interrogatus Thales quid difficile vidiſſet? Tyrannum, inquit, ſenem. Laert. in eius vita.

QVæ ſibi rara foret Thales res viſa rogatus,
Oppreſſor populi, ſubdidit ille, ſenex.

Aliena

XCVIII.

Aliena virtus, Tyrannis formidoloſa. Sall.

Siniſtra erga eminentes interpretatio, nec minus periculū ex magna fama quam ex mala. Tac. Agric.

ARs, virtus, doctrina iacent dominãte Tyranno,
Tam bona Nobilibus quam mala fama nocet.

XCIX.

Regum ac Tyrannorum exitus.

Reges conſeneſcunt, liberiſque ac nepotibus tradunt regna; Tyrannorum execrabilis ac breuis poteſtas eſt. Sen. 1. De Clem.

REx ætate grauis natis dat Regna. Tyranni
Vis contra necnon vita nefanda, breuis.

C.

Nullum momentum, immune à metu Tyrannis.

Omnium manus obſeruant, & eo quoque tempore, quo non captantur, peti ſe iudicant. Sen. 1. de Clem.

SVnt nox atque dies horroris plena Tyrannis:
In ſomnis cædes quas timet, ille videt.

Tertiæ Centuriæ FINIS.

Ad Lectorem.

TEximus hos verſus, ſubſtantia verbaq; non ſunt
Noſtra, quid ergo meum? quodlibet atq; nihil

DAVIDIS COMNENI

Vltimi Trapezuntij Imperatoris de fortuna triumphus

Carmen

IO. FRANCISCI RAYMVNDI.

AVrea Caſtalidum pleƈtri quæ Müſa per antrum
Nec iam fila moues, nec Phœbi laurea frontē
Vmbrat adoratam, Cyrrhæ nec murmurat vnda
Irrorans iucunda tibi, ſed in æthere ſummo
Spirituum volucres inter pennata Cohortes
Semper inexhauſto Sophiæ de gurgite lymphas
Delibas memori tum pectore digna recondens
Digna Deo, ſtimulis animos accendis in altum
Ingentes, nunc ore meo clariſſima prome
Supremo vitæ geſſit quæ tempore Dauid,
Vltimus è Gentis COMNENÆ Regibus, altus
Aequet clararum ſonitum cantuſque tubarum.
Seù det, ſeù rapiat vultus quæ ſemper iniquos
Aſſumit Fortuna Domus per ſecula multa
Comnenæ, meritis Phœbo ſub vtroque iacentum,
Quæ fundata ſuis cepit moderamina rerum
Imperium tantum nequiens plus ferre, ruinis
Eius vt augeret Mahometthi regna ſecundi
Blaſphemi, fideique ſacræ implacabilis hoſtis,
Cum ſeptem natis DAVIDEM carcere claſit,
Inque odium fidei DAVID ſeptenaque proles
Damnatus iuſſu violenta morte Tyranni,

Quò fidei teneram prolem firmaret, amorque
Nil huius fieret vitæ, ſic ore loquutus:
Ite procul lacrymæ curarum mole grauati
Pectoris infauſti ſignum procul ite profanæ;
Non illam gemitu faciem turpare decorum,
Mors cui ſeruilem potior quàm ducere vitam,
Cuius & eſt grauibus frangi mens neſcia curis;
Sunt adamantæum conſtantia pectora ſcutum
Quoue retuſa cadunt fortunæ tela timendæ;
Non minus illa nocet ſiquidem cū ſplendida vultu
Quàm genus humanum ſæuis dum caſibus vrget
Non curæ, rerum corrumpit copia mores:
Plectimur immeritò, recti mens conſcia, veræ
Chriſtiadum fideique memor, quam ſacra tuetur
Gens, auet intrepido teſtari gaudia vultu,
Quæ ſentit ſecura breui dum tempore voluit
Lumina lætifero Lictoris vulnere ſomno
Perplacido claudenda ſibi, blandæque ſub vmbras
Huius, vt æternæ declinet ſpicula mortis,
Euolat aſtrorum luci ſocianda perenni:
Nos, nos felices ſocialis pignora lecti
Pignora cara, queis influxibus alta benignis
Aethra referre dedit geſtis, animiſque parentes
Comnenos æquare, licèt confinia Terræ,
Immenſique maris fuerint anguſta triumphis.
Auguſtis meritis, quorum vulgatus in orbe
Rumor erit, cælum dum paſcet ſidera, tellus
Effundet fruges, medias circundabit æquor
Terras; aëc iter volucrum reuolubile cedet.
Nobile quàm nobis aperit fortuna theatrum
Telluris gremio! gremium quin totius orbis
Scena theatralis ſpectacla futura Tonanti,
Aligeriſque Choris, cunctis Mortalibus vnà
Nos habet hìc Patri, rerum cui ſumma poteſtas,
Qui penetrat renes & pectora, gratia primùm
Soluatur, nobis concurſu cuius iniqui
Principis ante diem Turcarum munere mortem
Ferre datur, vita ſanè quæ dulcior omni
Obuia ſit, huius tenebroſi carceris vmbra

Euadet nobis æternæ nuncia lucis,
Libertas iſtis è vinclis aurea cæli
Principium ducet, Carcer Mauortis apertus
Campus erit palmis diuturnis atque trophæis
Fertilis, hic nobis pugnandum cara propago.
Fortiter, Athletæ ſtrenui pars reſtat agenda,
Carnificis ſpernenda manus munita ſecuri,
Vt corpus mutilet, quo trunco ſpiritus altum
Corporis è vinclis excedens fertur ad axem;
Certantes fidei telis dum vita manebit
Tempora duntaxat roſeis ornata corollis
Geſtabunt, Diuûm manibus quæ palma vireſcit
Increuit terris proprio madefacta cruore;
Iam iam ſidereæ gaudenti pectore mentes
Feſtiuum pictis tranantes aëra pennis.
Ingeminant plauſus, tenero mirantur in æuo
Vis multum fidei, fidei vos addere teſtes.
Non vos horrendi vel ſolo nomine terrent
Carnifices, non dira mouent vos vincla furentis
Militis, offertis mucroni membra tenella
Etſi non capiant, ipſum vincentia ferrum:
Tantus ineſt cæleſtis amor, conſtantia tanta
Conſilio grauibus, quamuis leuioribus annis,
Pectoribus veſtris extrema ſubire paratis.
Io triumphet Io, reſtat ſupremus hic actus
Viuendi tragicè, Iam cuſtos Angelus aſtris
Obrizo, vario contextis floreque ſertis
Tempora preſſurus mira dulcedine pectus
Mulcet: ſed contra quas non ardeſcit in iras
Tartarei Princeps regni, dum corde virili,
Immotoque necis ſucceſſu cernit ouantes,
Et ſic feſtiuo greſſu penetrale ſubire,
Vt non ad thalamum properet noua nupta iugalem
Lætior, Ad matrem ſe vertat promptior infans
Vbera preſſurus lactentia, Ceruus apertos
Euolet ad fontes citior ſitibundus aquarum:
Solis vtramque domum centeno gutture fama
Indefeſſa canens immenſæ laudis honores
Luſtrabit, magnumque feret ſuper æthera nomen;

At ſaxi fortuna rotam, quæ figere neſcit,
Quam ſuper ob vultum expanſis ſtat cæca capillis
Mentis egens, ſurdis hominum non vota capeſſens
Auribus, ambiguis ventiſque ſimillima motu,
Nunc huc, nunc illuc ludens incerta vagatur,
Seque rotæ motu rapidè voluentis in orbem,
Nulla, nec ſontis, habita ratione merentis,
Præmia cum pœnis confundit in ima ſuprema,
Et ſuprema vices variando mutat in ima,
Inuida nunc rapiens alijs quæ prodiga donet.
Et data confeſtim nulla ratione reſumens,
In Croeſos Iros, Croeſos commutat in Iros;
Sic premit imperio viles; virtutis alumnos,
Vtpote qui reddunt ſua regna minora, perhorret;
Horret ad aſpectum mentis, quæ neſcia flecti
Veſtræ grandiloqui tituli ſplendoribus, auro,
Delicijs, luxu, promiſſis, ſanguine, regno,
Fortunæ ſpretis quin donis exul ab orbe
Extra fortunæ regnum conuexa polorum
Libera perrumpit licèt ænea, quippe coarctant
Haud magnas mentes, corpus quæ vincla refrenant,
Cum belluis nobis communi corpore terræ
Affixo grauitate ſua ſuprema pererrat
Regna Dei ſtellantis opus mirabile molis,
Contemplanſque oculi fixis obtutibus orbi
Iuſtitiæ æterni Solis furatur amoris
Iapetioniades ſacri felicior ignem,
Quo lethale gelu noxarum ſoluitur, ore
Delicijs auido cæli delibat ab aſtris
Ambroſiæ ſuccos & odori nectaris imbres
Mentibus innocuis ſic gratos, guſtus vt omnis
Gazarum, formæ, luxus, moderaminis orbis
Cæleſti guſtu confertis vilior alga
Euadat, noſtram fortunæ munera mentem
Implent, non explent, diuinæ ſcilicet auræ
Particulam ex nihilo factam, factamque capacem
Numinis, hanc explere poteſt tãtummodo Numen;
O fortunatam mentem de fontibus hauſtis,
Quæ Saluatoris lymphis, quas gutture, puro

Qui

Qui bibit haud vnquam ſitiet, tum paſta ſalubri
Pane Beatorum, cuius fragmenta cateruas
Innumeras ſaturare queunt, dulcedine tanta
Afficeris, cunctis vt ſpretis eius amori
Victima ſponte cadas, holocauſtaque grata mouẽti
Numine cuncta ſuo fias, non indigus vllis
Qui quamuis donis, tamen omnia munera curat,
Centuplici cælis quò fœnore muneret omnes;
Munera non orbis curat, ſed munera cordis,
Zelotypus quòd amans animarum venit ab alta
Sede redempturus peccati ſanguine ſeruum
Humanum proprio genus, humanis & in antro
Indutus ſpolijs inter iumenta ferarum
Rex Regum rigido Capricorni ſidere natus
Nuda ſuper ſtipulas voluit ſua membra reponi;
Qui vix dum natus Regnanti notus ab Vrbis
Finibus aufugit Solymææ conditor Orbis;
Authorem ſiquidem quærebat perdere vitæ
Mentis inops metuens Rex & crudelis Apella,
Ne ſibi ventoſum raperet diadema, Beatis
Cælica qui Dominus Dominãtum ſtemmata donat.
Non mihi ſi totidem ſint linguæ, pectora, voces,
Ora, quot in cælis effulgent ſidera, pennis
Aëra quot ſcindunt volucres, quot in æquoris vndis
Colludunt piſces, numerat quot littus arenas,
Omnia pœnarum percurrere nomina poſſem,
Quas ſummus ducturus oues ad paſcua cæli,
Quæ periere ſibi rabidorum præda luporum,
Suſtinuit Paſtor tanta pietate refertus,
Vt gregis haud manibus dubitarit amore nocentũ
Tradier, horrendæque ſubire Crucis tormentum.
Pro grege tanta ſuo proles æquæua parenti
Aeterno Chriſtus cum geſſerit ore ſereno,
Intrepidoque, Gregi grato quid reſtat agendum?
An celerare ſibi diro mucrone cruentam
Mortem? non, peccatoris conuerſio multum,
Viuere quò valeat, non mors placet vlla Tonantis.
Ni ſit opus fidei incremento ſanguinis imbres
Fundere, ceu fieri Patriæ ſpectacla ſalute

Grata Deo,& tunc cædes non vnica tantùm
Chriſticolis,ſed mille forent, iucunda libenter;
Hoc vnum memori condatur pectore prolem
Virginis intactæ , mortis cui ſumma cupido,
Vt mortale genus vita donaret, in æuum
Omne fuit,partes Galilææ adijſſe relicta
Iudæa tellure ſibi ſuprema paranti,
Ipſamet vt vidit proprijs à Ciuibus imbre
Se fore ſaxorum perimendam fugit ab illis;
Scilicet,vt retulit,nondum eius venerat hora;
Inde Dei donum cum ſit mors vitaque noſtra
Viuere, ſiue mori noſtrum Rectoris Olympi
Pendet ab arbitrio,cuius ſunt munus,eidem
Sunt referenda,patent illi nam tempora ſolùm
Et momenta,quibus ſeries ſine fine bonorum,
Aut contra exoritur ſeries ſine fine malorum;
Effluitare licèt vitæ videantur eodem
Et momenta gradu nobis & tempora,quantum
Heu tamen inter ſe momenta,& tempora diſtant.
Dirigit Imperij clauum , qui rexerat olim
Naniculæ Mandro,Serua de matre macedo
Sub leges claris patriam virtutibus vrbem
Ortus & imperium trahit Archelaus,Aduncum
In ſceptrum Cincinnatus commutat aratrum,
Paſtores aluere lupæ vos vbera fratres,
Quos fundatores venerata eſt Roma gemellos;
Ancillæ vernæ proles inflectit habenas
Seruius imperij Romani, Hoſtilius Vrbi
Iura dat è pecorum cura, quæ præſidet vrbi,
Filius ecce Fagi turbæ de milite regni
Ægypti rutilo fulget diademate,Lictor
Darius *H*iſpanus Perſarum ſceptra capeſſit,
Regali vehitur curru,qui fecerat ante
Telephanus currus & lydis iura miniſtrans
Regnat,Agathocli figulo genitore Cyclopum
Terra ſato Regis ſummos indicit honores,
Corporis immundo meretrix,quid plura?Canopi
E queſtu Rhodopè regni moderamina cepit
Paſmnico nupſitque viro;Contràque tyrannus
Iunior

Iunior è patrijs Dionyſius exul ab oris
Artibus ingenuis pueros informat, Ab vrbe
Pellitur & regno Tarquinius ille ſuperbus,
Quid memorem Marios, Marcellos, Annibaleſque?
Quid Mitridatos? mitto cum Cæſare Reges,
Scipiadas mitto, Pompeios totque Tyrannos
Proſtratos miſerè ferro, cæcóque veneno
Sublatos, quorum numero fit copia maior;
Orbis enim precibus, pretio, vi, ſorte mouentur
Res velut Euripus curſus hinc atque recurſus
Vndarum alternat, zephyris Fortuna ſecundis
Aut beet, aduerſis eadem vel torqueat Euris,
Res hominum quodam ſurſum iactanſque deorſum
Æſtus mors, rerum finis: Maiora canamus:
Quicquid ſub cælo ſpolium fit temporis, & ne
Commorer in paruis, Mundi miracula ſeptem
Mole vel immenſa, ſuperante vel arte magiſtra
Materiam pretioue rei celeberrima nunquam
Commendata ſatis ſi voluere lumine mentis
Ardor ineſt, ſenij mi dulce leuamen ALEXI,
Inſpice marmoreis centum memorabile Templum
Terque nouem dia quod conſtitit arte columnis,
Viribus & gazis Aſiæ totius opimis
Epheſiæ ſacrum Dianæ quinque peractum
Et quadraginta luſtris, mirabile dictu!
Conſumptum celeri momento temporis igne;
Architectus opus Cherſiton duxerat æuum
Manſurum, fiunt quæ tempore neſcius illa
In nihilum redigi progreſſu temporis, ictu
Aut oculi mundi compleri tempora rerum.
Omiſſis centum Rodium perpende Coloſſum
O BASILI ſoli ſacrum, turritus in ære
Qui plenis puppim velis hinc, indeque plantis
In portus aditu fixis ſub crura volantem
Excipiens, dextra ſceptrum regale, ſiniſtra
Ignem oſtentabat quò littora tuta paterent
Æquora verrenti nocturno tempore nautæ,
Vndenis luſtris ſexta brumaque peractis
Ad terram fluxit deuexa lampade, monſtrans

Lam-

Lampadis in morem mortalia cuncta reſolui
In nihilum, terret nunc concaua machina bombis
Horriſonis, varios Martis ceù factus ad vſus
Effluit in paruos orbes, queis mentis acumen
Humanæ pennas aptauit, vt aëra penna
Prepete tranando mortem celeraret acerbam,
Ac ſi ſera foret damnis Mortalis Erynnis;
Diſce vel hinc quiſquis fluxis confidis in orbis
Rebus Terrigenæ quantis ſubiecta periclis
Vita ſit, omiſſis nimirum millibus, eius
Damno & ſupremo exitio fluitare metallum
Tam graue, tam ſolidum candentis fluminis inſtar
Cernis, idemque ſimul volitare per aëra, rerum
Vita breuis, velut vmbra fugit, ceù fumus in auras.
Annales euolue manu miracula Memphis,
ISACI, vultu ſpecta compluribus annis,
Sumptibus immenſis, ſummiſque laboribus acta
Et iam ſidereis olim præcincta coronis
Culmina Pyramidum viuas imitantia flammas,
Quò quò viſceribus miſerè telluris apertis
Complexu Inferno, pariter contermina Cælo
Inferno, Cæloque ſimul fera bella mouerent;
Fracta repentina cernes cecidiſſe ruina,
Auctorumque leges nómen cum molibus vnà
Tempore deletum, nè vanè fortè ſuperſtes
Ambitioſorum Regnantum rumor adeſſet.
Regia Medorum gemmans ANDRONICE Cyri
Eſt vbi Regis opus multis mirabile ſeclis,
Memnonis artificis? Solidum copulauerat aurum
Saxorum montes, contemptu forte metalli
Illius, cuius nimium ſplendoribus actæ,
(Vallati velutì biſſeno ſidere Phœbi
Imbibit ex radijs tenebras qui conſpicit orbem.)
Haud ſecus eclipſim mentes patiuntur auaræ
Pupillæ, cuius dum pondere dextra grauatur,
Mens aura leuior numen veneratur in auro,
Sic auri faſtus, alio calcatus at ipſe
Calcauit Cyrus, humanæ forte trophæo
Ambitionis, opes adeo quæ prodiga ſaxis
Diſper-

Diſpettit,quarum Scylla eſt,animata Charybdis.
Mitto ſepulchralem quam duxit ad æthera molē
Conſortis quò fama foret poſt fata ſuperſtes.
Ingentis certè memorabile pignus amoris,
Mauſoli coniux,IOANNES,regia,poſtquam
Cum vino cineres auido bibit ore mariti,
Vir ſuus vt vita defunctus viueret in ſe,
Inque ſuo ipſa viro,eſt animatum facta ſepulcrum.
Sex decies paſſus oblongos mille,trecentis
Turribus ò MANVEL,Muros omitto ſuperbos
Quindenis pedibus latos,altoſue ducentis
Clara Semiramidis mentis monimenta virilis.
Denique Phidiacum ſignum ſileatur eburnum,
Quo ſibi complacuit cælatus Iuppiter ipſe,
Omnia sũt etenim,NICEPHORE,monſtra trophæa
Temporis innumeris cum molibus omne vorantis.
Ter fortunatos! huius ſi lucis auari,
Quò cæli paruo lucremur tempore gazas
ſublimes ſolidis nixi virtutibus vſque,
Infractique malis exoſi regna caduca,
Indiga quæ mundi votis alimenta miniſtrant,
Iugiter & vario terras diſcrimine turbant:
Indiuiſibili tantùm contenditur orbis
Puncto, (luſtranti cælos ſic dicere fas eſt
Lumine) tùm varijs fortunæ caſibus acti
Humanos inter caſus nos fronte ſerena
Inconcuſſa diù lacrymis, curiſque geremus
Pectora ſpectaclis gaudentia cædis amicis
Nõ ſecus atque Atlas & Athos aut clarus Olympus,
Extra ventorum patriam,qui fronte ſuperba
Altius aſſurgit nebulis,fruiturque quiete
Æterna, quamuis nubes latera omnia cingant
Horrifico tonitru conturbent pectora nimbi,
Circumquaque fremant validis & fulmina tergis.
Sic ait,in plauſus abeunt & murmure læto
Fertur ad aſtra ſonus,fratrum quò turba Satori
Terrarum Cælique preci coniuncta paternę
Inflexis genibus memori de pectore grates
Quòd ſibi depromunt certandi ritè daretur

Optio

Optio, non frontem, cingendi ſacra coronis
Tempora ſtellarum, duplicant ad ſidera palmas
Optantes huius ſolui de carcere mortis,
Inuida quæ tantis Terræ non ſerò theſauris
Reſpexere preces orantum, quippe Tyranni
COMNENI iuſſu truncantur corpora ferro:
Non illos tangent mortis tormenta, tametſi
Inſipidis oculis experti ſpicula mortis
Sint viſi, cæli æterna in pace quieſcunt.

FINIS.

Imprimatur, Si videbitur Reuerendiſs. P. S. P. Ap. Magiſtro.

M. A. Oddus Epiſc. Hierap. Viceſg.

Imprimatur.

Fr. Raymundus Capiſuccus Magiſter Sac. P. Ap. Ord. Præd.

Errata ſic corrige.

Pag.15.	n.35.	beue	dic bene
pag.15.	n.42.	ſuppiex	dic ſupplex.
pag 21.	n.70.	miſi	dic miſit.
pag.21.	n.71.	natus	dic natis.
pag.26.	n.103.	paratns	dic paratus.
pag.28.	n.105.	nuila	dic nulla.
pag.29.	n 106.	carpſit	dic carpſit.
pag.30.	n.109.	fit	dic ſit.
pag.31.	n.114.	illicet	dic ilicet.
pag.42.	n.160.	miſteria	dic myſteria.
pag 42.	n.160.	m rſo	dic merſo.
pag.43.	n.163.	tartacis	dic tartareis.
pag.46.	n.177.	m hi	dic mihi.
pag.46.	n.178.	ſuos	dic ſuos.
pag 48.	n.184.	imnenſi	dic immenſi.
pag.49.	n.1.	Prlncipe	dic Principe.
pag 59.	n.64.	luigue vulhera	dic linguę vulnera
pag.67.	n 97.	ſimulachra	dic ſimulachra.
pag.78.	n.14.	profis	dic præſis.
pag.89.	n.83.	Dei	dic dij.
pag.90.	n.85.	fibi	dic ſibi.
pag.94.	n 100.	Dcum	dic Deum.
pag.95.	n.1.	fiue	dic ſiue
pag.108.	n.51.	Bdidic	dic. edidit.
pag 109.	n.57.	morlentis	dic morientis.
pag.112.	n.57.	pace	dic pacem.
Pag 117.	n 87.	ſemne	dic ſemnie.
pag.118.	n.90.	minims	dic minimis.

Impri-